DE

LUDORUM MEMORIA

PRAECIPUE

TERTULLIANEA

CAPITA SELECTA

SCRIPSIT ET

VENIA
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
ACADEMIAE ALEXANDREAE
PUBLICE DEFENDET

HENRICUS F. SOVERI

IN AUDIT. HIST. PHILOL. DIE XVII M. FEBRUARII A. MCMXII H. A. M. S.

HELSINGFORSIAE 1912
EX OFFICINA SOCIETATIS LITTERARIAE FENNICAE

Index.

Addenda et corrigenda.

p. 2 n. 3 a) adde: Cfr Tert. De pall. I (O. I 917) *Pro, quantum circummeavit, a Pelasgis ad Lydos, a Lydis ad Romanos.*

p. 9 n. 1 l. 6 lege: 13 (pro: 3).

p. 11 n. 7 l. 4 lege: [Hermes, 24 (1889), p. 76 ff.] pro: [Hermes, 2 e. q. s.].

p. 19 n. 1 adde: Cfr Tert. Ad nat. II 9 (I 112, 24) *sane Romulus et fratrem interfecit et alienas uirgines dolo rapuit.*

p. 20 l. 1 lege: *matrimonia* (pro: *matrimonium*).

p. „ n. 2 adde: Cfr Tert. Apol. XXVI (O. I 225).

p. 22 n. 7 l. 6 lege: Liberi (pro: liberi).

p. 35 n. 3 adde: De vocabuli *Pelinae* etymo cfr F. Stolz, Lat. Gr.[4] p. 144; *fruniscor* ex *frugniscor.

p. 39 l. 13 lege: discrepaverint (pro: discrepuerint).

p. 43 n. 3 l. 9 adde post *Floralia:* ; Tert. de idol. X: I 40,7 *Florae scholae coronandae; flaminicae et aediles sacrificant creati; schola honoratur feriis. idem fit idoli natali; omnis diaboli pompa frequentatur*).

p. 45 l. 7 lege: Iovi (pro: lovi).

p. 48 l. 6 lege: Philocalianis (pro: Philicalianis).

p. 49 n. 2 l. 10 lege: commemorantur (pro: memorantur).

p. 66 n. 5 l. 2 lege: *compressit* (pro: *comdressit*).

p. 69 l. 15 lege: *Libero* (pro: *Liberi*).

p. 70 n. 8 l. 5 lege: veram (pro: rectam).

p. 73 l. 12 lege: sim (pro: ism).

p. „ n. 4 adde: Olympia Tert. commemorat De an. LII (I 384,20).

p. 74 l. 24 lege: *concilium* (pro: *consilium*).

p. 90 n. 1 l. 3 lege: 27 (pro: 28).

p. 93 l. 6—7 lege: fuissent (pro: fuerint).

p. 108 n. 6 l. 4 dele: ei.

p. „ „ „ „ „ lege: potuit (pro: licuit).

p. 112 l. 19 lege: locos (pro: loca).

p. „ n. 4 l. 2 lege: in anaglypho Folignano (tab. III C adi.) pro: Barcinonensi (tab. III D adi.).

p. 113 l. 17 lege: ex Tertulliani aliorumque locis (pro: ex Tertulliano locisque aliis).

p. 120 l. 4 lege: inventorem (pro: inventorum).

p. 121 n. 2 l. 2 lege: *somnis* (pro: *somnio*).

p. „ n. 4 adde: De Accii Patina cfr Noeldechen Z. f. Kircheng XV (1894) p. 165 n. 4.

p. 131 n. 1 lege: 25 (pro: 28).

p. 132 l. 12 sq. lege: *modulari* (Apol XV: O I 172:) *et* pro: *modulari*. Apol. XV (O I 172):

p. 133 n. 3 l 3—4 dele: *Erichthonius* (De virg. vel. 3; L. 39),

p. „ „ „ l. 5–6 deletis verbis '*Minerva* — (De an. 46; Luc. 49)' substitue: *Medea* (De an. 50; L. 40. 53),

p. „ „ „ adde: De Leda et Europa et Proserpina (Luc. 40) ab Iove constupratis cfr Tert. De carne Chr. IV (O. II 433), Ad nat. II 13 (I 124,2 sqq.), Apol. XXI (O. I 197 sq.).

p. 135 n. 5 l. 5 lege: *proferuntur* (pro: *feruntur*).

p. 138 l. 20 lege: harena (pro: earena).

p. „ l. 24 adde post '*constantia*': *ad populum verba ista iactabant.*

p. 141 n. 3 l. 7 lege: *laetioris* (pro: *aetioris*).

p. 142 l. 2 adde post 'pantheram': et aprum et cervum.

p. „ n. 1 l 6. adde post *applicatis*.: Apol. IX (O. I 148).

p. 145 n. 5 l 3. lege: 21,10 (pro: 12,7).

p. 148 n. 4 l. 5 lege: *φρωνή* (pro: *ρωνή*).

p. 151 n. 7 adde: De odeo fit mentio De carn. res. XLII (III 87,24).

p. 152 n. 2 l. 9 lege: 19 (pro: 17).

p. 156 l. 2 lege: *saecula* (pro: *saeculo*).

Tab. I p. 1 l. 3 lege: sunt (pro: erant).

Cetera haud pauca qui animadverterit facile ipse corriget.

Praefatio.

Nonnullis ante annis, cum locos quibus res romanae illustrarentur ex Tertulliani scriptis excerperem, tanta et tam varia locorum copia mihi oblata quoniam omnes uno in volumine pertractari non posse satis perspexeram, eos, qui ad ludos veterum pertinerent, separatim digerere et edere constitui, sed ita ut omnes ad Tertulliani De spectaculis librum explicandum conferrem. Et ad librum illum cognoscendum quo plus lucis spargeretur, alia quoque testimonia ex scriptis veterum et ex titulis et ex artis monumentis adhibui.

Res vero ita disposui, ut primum de originibus, deinde de nominibus, tum de locis, denique de apparatibus et artificiis ludorum, postremo de libro, quem scripsit De spectaculis Tertullianus, dissererem. Primo in capite praecipue mihi erat adeundus O. Muelleri De Etruscis liber, in altero cum Georgii Wissowae enchiridion, quod est de religione et cultu Romanorum, tum Corpus inscriptionum latinarum. Quae de Tertullianeae aetatis ludis ita constitueram, duabus tabulis dissertationi adiectis explanare studui. Tertio in capite artis monumenta inprimis erant proferenda, quorum quibus maxime nisus sum ea in tabula tertia ex Annalibus Instituti archaeologici (Annali dell' Instituto di corrispondenza archeologica) curavi exscribenda: anaglyphum Maffeianum (Tab. III A et B) ex vol. XI (1839), anaglyphum Folignanum (Tab. III C) ex vol. XLII (1870), musivum Barcinonense (Tab. III D) ex vol. XXXV (1863). In quarto capite plurima ex Graevii thesauri vol. IX, ex Friedlaenderi enchiridio (Sitteng. II[8] 1910), ex Reichii libro quem scrip-

sit de mimis, ex Krausei opere, quod de artibus gymnicis edidit, copiosissimo exhausi. Praeterea multa mihi praebuerunt, ne omnes enumerem, Salmasius, Oehler, Ernestius et Maximilianus Klussmannus, Hartelius, Noeldechenius, qui ad Tertulliani scripta interpretanda omnes plurimum contulerunt.

Tertullianeis in locis adferendis lectionem Corporis Vindobonensis, ubi editio nondum perfecta suppeditabat, secutus sum, ubi deficiebat, Oehleri editionem maiorem consului. Locos ex editionibus illis sumptos ita notavi, ut ex tribus numeris primo volumen, altero paginam, tertio lineam editionis Vindobonensis, sed O littera Oehlerum, numero subsequenti tomum, altero paginam Tertulliani operum ab eo editorum (1853) significarem.

In dissertatione mea instituenda et conficienda peropportune mihi cecidit, quod eximio auxilio non carebam viri praestantissimi, cui quantum debeam gratissimo animo confiteor. Nam Georgius Wissowa saepius cum eum aut per litteras aut praesens adii, consiliis me adiuvit magnumque pro me suscepit laborem. Item Fr. Gustafsson, praeceptor olim meus, qua perpetua fuit erga me benevolentia, consilia ubi desiderabam mihi impertiebat utilia. Quibus ut gratias persolverem singulares hanc praetermittere nolui occasionem.

Neque quod auxilium mihi D:r *Hj. Hahl*, vir litterarum linguaeque italianae et artium liberalium peritissimus amice praebuit, neque quam opem D:r *Ericus Tammio* schedis typographi corrigendis mihi tulit, silentio oportet praeterire. Quorum pro benevolentia itidem gratias ago maximas.

I. De origine ludorum.

Tertullianus de origine ludorum quid sentiat his verbis exponit[1]: *extant auctores multi, qui super ista re commentarios ediderunt. ab his ludorum origo sic traditur: Lydos ex Asia transuenas in Etruria consedisse Timaeus refert duce Tyrreno, qui fratri suo cesserat regni contentione. igitur in Etruria inter ceteros ritus superstitionum suarum spectacula quoque religionis nomine instituunt. inde Romani arcessitos artifices mutuantur, tempus, enuntiationem, ut ludii a Lydis uocarentur.* Sed de ipsa re, quam tractare instituimus, antequam plura dicamus, nonnulla nobis videntur esse praemonenda de origine Etruscorum[2], a quibus ludos Romam esse inductos Tertullianus censet.

Primum igitur videamus, quid veteres de illa gente memoriae tradiderint. Et quoniam Herodoti auctoritati posteros paruisse haud est infitiandum, principem eius verba[3] obtineant locum: *ἐπεῖτε δὲ οὐκ ἀνιέναι τὸ κακὸν ἀλλ' ἔτι ἐπὶ μᾶλλον βιάζεσθαι, οὕτω δὴ τὸν βασιλέα αὐτῶν* (Lydorum) *δύο μοίρας διελόντα Λυδῶν πάντων κληρῶσαι τὴν μὲν ἐπὶ μονῇ τὴν δ' ἐπὶ ἐξόδῳ ἐκ τῆς χώρης, καὶ ἐπὶ μὲν τῇ μένειν αὐτοῦ λαγχανούσῃ τῶν μοιρέων ἑωυτὸν τὸν βασιλέα προστάσσειν, ἐπὶ δὲ τῇ ἀπαλλασσομένῃ τὸν ἑωυτοῦ παῖδα, τῷ οὔνομα εἶναι Τυρσηνόν. λαχόντας δὲ αὐτῶν τοὺς ἑτέρους ἐξιέναι ἐκ τῆς χώρης καταβῆναι ἐς Σμύρνην καὶ μηχανήσασθαι πλοῖα, ἐς τὰ ἐσθεμένους τὰ πάντα ὅσα σφι ἦν χρηστὰ ἐπίπλοα, ἀποπλέειν κατὰ βίον τε καὶ γῆς ζήτησιν, ἐς ὃ ἔθνεα πολλὰ*

[1]) De spect. V (I 6, 21).

[2]) Novissime hanc rem G. Koerte tractavit apud Pauly-Wissowa, Real-Encyclopädie vol. VI pp. 730—770, ubi indices librorum eodem pertinentium reperientur. [3]) I 94.

παραμειψαμένους ἀπικέσθαι ἐς Ὀμβρικούς, ἔνθα σφέας ἐνιδρύσασθαι πόλιας καὶ οἰκέειν τὸ μέχρι τοῦδε. ἀντὶ δὲ Λυδῶν μετονομασθῆναι αὐτοὺς ἐπὶ τοῦ βασιλέος τοῦ παιδός, ὅς σφεας ἀνήγαγε· ἐπὶ τούτου τὴν ἐπωνυμίην ποιευμένους ὀνομασθῆναι Τυρσηνούς. Atque haec sunt Strabonis [1]): *Οἱ Τυρρηνοὶ τοίνυν παρὰ τοῖς Ῥωμαίοις Ἐτρούσκοι καὶ Τοῦσκοι προσαγορεύονται. οἱ δ' Ἕλληνες οὕτως ὠνόμασαν αὐτοὺς ἀπὸ τοῦ Τυρρηνοῦ Ἄτυος, ὥς φασι, τοῦ στείλαντος ἐκ Λυδίας ἐποίκους δεῦρο. ἐπὶ γὰρ λιμοῦ καὶ ἀφορίας ὁ Ἄτυς, εἷς τῶν ἀπογόνων Ἡρακλέους καὶ Ὀμφάλης, δυεῖν παίδων ὄντων, κλήρῳ Λυδὸν μὲν κατέσχε, τῷ δὲ Τυρρηνῷ τὸν πλείω συστήσας λαὸν ἐξέστειλεν. ἐλθὼν δὲ τήν τε χώραν ἀφ' ἑαυτοῦ Τυρρηνίαν ἐκάλεσε.* Item Velleius Paterculus [2]): *per haec tempora Lydus et Tyrrhenus fratres cum regnarent in Lydia, sterilitate frugum compulsi sortiti sunt, uter cum parte multitudinis patria decederet. sors Tyrrhenum contigit: pervectus in Italiam et loco et incolis et mari nobile ac perpetuum a se nomen dedit.* Sic omnes fere scriptores antiquitatis hanc rem memoriae prodiderunt [3]),

---

[1]) V 219 (II 2). [2]) I 1, 4.

[3]) a) Inter scriptores Latinos: Verg. Aen. VIII 478 sqq. *haud procul hinc saxo incolitur fundata vetusto urbis Agyllinae sedes, ubi Lydia quondam gens, bello praeclara, iugis insedit Etruscis;* Horat. Sat. I 6, 1 sq. *Non quia, Maecenas, Lydorum quidquid Etruscos incoluit fines, nemo generosior est te;* Sen. Dial. XII 7, 2 *Tuscos Asia sibi uindicat;* Plin. Nat. hist. III 50 *Umbros inde* (ex Etruria) *exegere antiquitus Pelasgi, hos Lydi, a quorum rege Tyrrheni, mox a sacrifico ritu lingua Graecorum Tusci sunt cognominati;* Sil. Ital. Pun. IV 718 sqq. *Ergo agitur raptis praeceps exercitus armis Lydorum in populos sedemque ab origine prisci sacratam Corythi iunctosque a sanguine auorum Maeonios Italis permixta stirpe colonos;* Iustin. XX 1, 7 *Namque Tuscorum populi, qui oram inferi maris possident, a Lydia venerunt;* Festus p. 322 Muell. *reges . . Etruscorum, qui Sardi appellantur, quia Etrusca gens orta est Sardibus ex Lydia. Tyrrhenus enim inde profectus cum magna manu eorum, occupavit eam partem Italiae, quae nunc vocatur Etruria;* Solinus II 7 (quis ignorat) *Tyrrhenos a Tyrrheno Lydiae rege* (esse dictos); Serv. ad Verg. Aen. X 164 *Tusciam . . . non debemus dicere . . ., sed . . . aut Lydia* (dicenda est) *a Lydo, aut Tyrrhenia ab eius fratre, qui . . . cum parte populi de Maeonia venit ad Italiam;* b) inter scriptores Graecos: Plut. Rom. II *οἱ δὲ* (λέγουσι) *Ῥῶμιν Λατίνων τύραννον, ἐκβαλόντα Τυῤῥηνοὺς τοὺς . . . ἐκ . . . Λυδίας εἰς Ἰταλίαν παραγενομένους* (*τοὔνομα θέσθαι τῇ πόλει*); Appian. Pun. 66 *λυδοὺς*

Etruriae incolas natione esse Lydos, qui coloni in Italiam deducti ex ducis nomine Tyrrheni appellarentur. Singula vero alii aliter proponunt.

Ducem Lydorum ex patria profectorum cum Herodotus [1]) et Tacitus [2]) dicunt Atyis filium fuisse, Pausanias [3]) et Dionysius Halicarnasseus [4]) ex Hercule et Omphale natum, Lycophron [5]) et Strabo [6]) et idem scriptor Antiquitatum Romanarum [7]) matre omissa Heraclidem esse narrant. Alterum ex fratribus, Tyrrhenum solum Herodotus [8]) et Strabo [8]) ferunt a patre ad coloniam deducendam esse praestitutum, Velleius [8]) vero et Tacitus [8]) Tyrrhenum et Lydum filios tradunt inter se constituisse, ut alter demigraret, Lycophron [9]) denique ambo fratres, quorum alterum pro Lydo nominat Tarchonem [10]), ex Mysia in Italiam facit magna vi irruentes. Neque cur alter ex fratribus patriam reliquerit, inter omnes con-

---

αὐτοὶς (κιθαριστάς τε καὶ τιτυριστὰς) καλοῦσιν, ὅτι [οἶμαι] Τυρρηνοὶ Λυδῶν ἄποικοι; Dionys. Perieget. 347 sqq. *Τυρσηνοὶ μὲν πρῶτ᾽· ἐπὶ δὲ σφισι φῦλα Πελασγῶν, οἵ ποτε Κυλλήνηθεν ἐφ᾽ ἑσπερίην ἅλα βάντες αὐτόθι ναιήσαντο σὺν ἀνδράσι Τυρσηνοῖσιν;* Eustath. comment. ad locum superiorem: (*οἱ Ἐτροῦσκοι) καλοῦνται . . . Τυῤῥηνοὶ ἀπὸ Τυῤῥηνοῦ Λυδοῦ, υἱοῦ Ἄτυος, ᾧ πολὺν λαὸν ὁ πατὴρ συστήσας ἐν καιρῷ λιμοῦ ἐξέστειλεν, ἀφ᾽ οὗ ἡ χώρα Τυῤῥηνία ἐκλήθη.* Plures testes infra adhibebuntur.

1) Loco supra allato.

2) Ann. IV 55 *nam Tyrrhenum Lydumque Atye rege genitos ob multitudinem divisisse gentem; Lydum patriis in terris resedisse, Tyrrheno datum novas ut conderet sedes.*

3) II 21, 3 *Τυρσηνοῦ δὲ τοῦτον τὸν Ἡγέλεων, τὸν δὲ Ἡρακλέους εἶναι καὶ γυναικὸς λέγουσι τῆς Λυδῆς.* 4) AR I 28, 1 *ἔλεξαν γὰρ δή τινες Ἡρακλέους υἱὸν εἶναι τὸν Τυρρηνὸν ἐξ Ὀμφάλης τῆς Λυδῆς γενόμενον.*

5) Alex. 1248 sq. *Τάρχων τε καὶ Τυρσηνός, αἴθωνες λύκοι, τῶν Ἡρακλείων ἐκγεγῶτες αἱμάτων.* 6) Loco supra allato. 7) I 28, 1 *ἕτεροι δὲ Τηλέφου παῖδα τὸν Τυρρηνὸν ἀποφαίνουσιν.*

8) Loco supra allato.

9) Ib. 1351 sqq. *Αὖθις δὲ κίρκοι, Τμῶλον ἐκλελοιπότες Κίμψον τε καὶ χρυσεργὰ Πακτωλοῦ ποτὰ καὶ νᾶμα λίμνης, ἔνθα Τυφῶνος δάμαρ κευθμῶνος εὐνόλεκτρον ἐνδαύει μυχόν, Ἄγυλλαν Αὐσονῖτιν εἰσεκώμασαν, δεινὴν Λιγυστίνοισι τοῖς τ᾽ ἀφ᾽ αἵματος ῥίζαν γιγάντων Σιθόνων πεπαμένοις λόγχης ἐν ὑσμίναισι μίξαντες παλην.*

10) Ib. v. 1248 supra allato.

venit. Namque Tyrrhenum ceteri propter sortis iniquitatem [1]) aut sua sponte [2]) patria decessisse explicant, vi Timaeus, quo se Tertullianus ait auctore usum esse, compulsum fratri cessisse commemorat. Qua varietate rerum singularum fabulam illam iam Herodoti temporibus apud Graecos in Asia habitantes esse versatam ex eo conicitur, quod Xanthus [3]) et Hellanicus [3]) logographi, qui dicuntur, de Lydis et Tyrrhenis narrantes neque inter se neque cum Herodoto consentiunt. Atque etiam in Italia, quo translata a Graecis ea fabula videtur [4]), facile est mutata. Italicae vero originis quantum in ea sit, etsi difficile est diiudicatu, ita tamen verisimile est Etruscos eam voluisse narrari, ut ipsorum maxime res eniterent. Tyrrheni inprimis de genere quae Pausanias [5]) et Lycrophon [6]) et Strabo [7]) memoriae prodiderunt ab Etruscis si non inventa, at certe libenter accepta et divulgata esse vel ex eo patet, quod inter heroas, quorum factis nummi [8]) gemmaeque [9]) Etruscorum exornabantur, primum tenebat locum Hercules. Atque in Lydi locum quin sit in Italia suppositus Tarchon, qui tum frater [10]) tum filius [11]) Tyrrheni, tum Heraclides [12]) intellegitur, non est cur dubitemus [13]). Namque Tarchonem, ubi mentionem eius faciunt scriptores, in Italia fingunt vel oppida condentem [14]) vel bella gerentem [15]). Maximeque Etruscis

---

[1]) Herodotus, Strabo, Velleius ll. ll. [2]) Lycophron ib. 1351 sqq.

[3]) Apud Dionys. Halic. (AR I 28) *Xanthus* dicit Lydum et Torebum Atyis filios regno paterno diviso in patria remansisse, *Hellanicus* vero Tyrrhenos, quibus antea nomen fuisset Pelasgis, a Graecis ex suis sedibus pulsos in Italiam venisse ibique nomine, quod haberent, assumpto Crotonem cepisse Tyrrheniamque condidisse.

[4]) De celeberrimo inter Etruscos Graecosque usu cfr Müller-Deecke, Etrusker I 180. II 280. 389 sqq. 514 sqq.

[5]) L. s. a. [6]) Alex. 1248. [7]) L. s. a. [8]) Müller-Deecke, ib. I p. 412 sqq.

[9]) Furtwaengler, Gemmen p. 199. 208.

[10]) Serv. ad Aen. X 198 *alii* (Mantuam) *a Tarchone Tyrrheni fratre conditam dicunt.* [11]) Id. ib. X 179 *Cato originum qui Pisas tenuerint ante adventum Etruscorum, negat sibi conpertum; sed inveniri Tarchonem, Tyrrheno oriundum, postquam eorundem sermonem ceperit, Pisas condidisse.*

[12]) Lycophron ib. 1248. [13]) Müller-Deecke, ib. I 67 sqq. [14]) Serv. ib.

[15]) Verg. Aen. VIII 506. 603. X 153. 290. 299. 302. XI 184.

placuisse fabulam, in qua Tyrrhenus vel Tarchon non humana vi coactus, id quod auctore generis indignum esset, sed deorum voluntate compulsus aut sui ipsius animi ardore incensus in Italiam venisse traderetur, si credimus, non multum erramus. Quare quae de Etruscorum origine narrat Lycophron, magis quam ceteri ex Italicis fontibus videtur hausisse [1].

Apud Romanos quam pervulgata et comprobata ea fabula fuerit testes sunt poëtae, qui cum de Etruscis sive hominibus sive rebus mentionem faciunt, nominibus utuntur, quae Asiaticam gentis originem in mentem revocant [2]. Qua in re quantus fuerit consensus inter scriptores antiquitatis, qui res Etruscas tractaverunt, vel ex eo patet, quod unus cum ceteris discrepat Dionysius Halicarnasseus. Qui cum omnia, quae de Etruscis memoriae mandata erant, inter se contulisset [3], dixit sibi persuasum esse propius ad veritatem accessisse eos, qui gentem Etruscam non advenam, sed indigenam esse arbitrarentur, praesertim cum Etrusci et lingua et moribus cum a ceteris gentibus, tum a Lydis maxime differrent [4].

Huius aetatis viri doctissimi quid de Etruscorum origine disputaverint, sequitur ut quaeramus. Alii eorum, quibus quae Dionysius tradidit maxime placuerant, et Livii testimoniis [5] et

---

[1]) Cfr Alex. 1351—61, ubi gentes locaque Italiae non solum nominantur, sed etiam describuntur.

[2]) Lydi, Lydius, Lydia: Verg. Aen. II 781 *et terram Hesperiam venies, ubi Lydius arva inter opima virum leni fluit agmine Thybris.* IX 11 *Lydorumque manum.* X 155 *gens Lydia.* Rutil. Namat. De red. I 596 *Lydia tota.* — Tyrrhenus, Tyrrhenia: Verg. Aen. VIII 507 *Tyrrhenaque regna.* 526 *Tyrrhenusque . . . clangor.* 551 *Tyrrhena arva.* 603 *Tyrrheni tenebant.* XI 171 *Tyrrhenique duces, Tyrrhenum exercitus omnis.* 733 *Tyrrheni.* Auson. epist. XXIV 88. — Maeonia: Verg. Aen. VIII 499 *Maeoniae iuventus.*

[3]) AR I 28—30. [4]) Ib. I 30 2 *κινδυνεύουσι γὰρ τοῖς ἀληθέσι μᾶλλον ἐοικότα λέγειν [οἱ] μηδαμόθεν ἀφιγμένον, ἀλλ' ἐπιχώριον τὸ ἔθνος ἀποφαίνοντες, ἐπειδὴ ἀρχαῖόν τε πάνυ καὶ οὐδενὶ ἄλλῳ γένει οὔτε ὁμόγλωσσον οὔτε ὁμοδίαιτον [ὂν] εὑρίσκεται.*

[5]) V 33, 10 (Coloniae Tuscorum) *trans Padum omnia loca, excepto Venetorum angulo . . . usque ad Alpes tenuere. Alpinis quoque ea gentibus haud dubie origo est, maxime Raetis.*

monumentorum trans Appenninum montem et sub Alpibus inventorum argumentis [1]) usi ex septentrionibus in Italiam venisse Etruscos iudicant [2]). Sed eas rationes, quae inter Etruscos et Asiae gentes intercesserunt, qui neglegere nolunt, censent Etruscos ex Tuscis indigenis [3]) exortos esse, quibuscum sive Tyrrheni, gens Pelasgica ex Lydia profecta, sive coloni Graeci ex Ionia advecti [4]) se commiscuissent atque non solum cultum humanitatemque, sed etiam fabulas a maioribus acceptas communicassent.

Novis vero atque gravissimis testimoniis detectis alii, qui huic quaestioni operam dederunt, id quod per totam prope antiquitatem pro certo habebatur, satis probaverunt. Qui gravissimo testimonio utuntur inscriptione litteris Etruscis confecta, quae superiore saeculo in insula Lemno inventa est [5]). Accedit quod

---

[1]) Quae a Carolo Pauli edita sunt in Altitalische Forschungen I.

[2]) Niebuhr, Röm. Gesch. I⁴ p. 118 sqq. — Heinrich Nissen, Italische Landeskunde I p. 497 sq.: Aber wenn nach der glaubhaften Angabe des Livius in den raetischen Alpen tuskisch gesprochen und wenn nach Ausweis der Denkmäler im Nonsberg Veltlin und am Luganer See tuskisch geschrieben wurde, so leuchtet selbst ein, dass diese Nation weder über das Meer gekommen noch von einer kleinen Landschaft aus (ita narrat Hellanicus; cfr Dion. Hal. ARI 28, 3. Diod. XIV 113) vorgedrungen sein kann, sondern dass sie vielmehr in grossen Völkerzügen zu Lande von Norden her eingewandert sein muss. Ita etiam Mommsen, Röm. Gesch. I⁷ p. 119 sq. W. Deecke, Italien (Bibliothek der Länderkunde, herausg. von A. Kirchhoff u. R. Fitzner, 3 u. 4 B.) p. 162: Die Etrusker waren . . . ein kriegerisches Handelsvolk, das wahrscheinlich auf dem Landwege nach Oberitalien gelangt ist. — Helbig libro, qui Italiker in der Poebene inscribitur, eandem sententiam argumentis gravissimis defendit, sed a posterioribus reprehenditur. Cfr Koerte apud Pauly-Wissowa.

[3]) Müller-Deecke, Etrusker I p. 82 sqq. Ib. p. 93: Das Tuskische Volk bleibt uns ein eigentümliches, ein Urvolk Italiens.

[4]) Ibid. Vorrede p. VIII sq. U. v. Wilamowitz-Möllendorff, Literarisches Zentralblatt 1906 p. 261 sq. dicit colonos Graecos quidquid humanitatis secum ex Asia tulissent Etruscis gentibusque Italicis tradidisse.

[5]) A Cousinio et Durrbachio, qui eam invenerant, edita in Bull. hell X, 1886, p. I sqq.; item a Carolo Pauli in Eine vorgriech. Inschrift auf Lemnos. 1 Abt. 1886, 2 Abt. 1894.

nuperrime in ipsa Lydia tres inscriptiones indagatae sunt, ex quibus notas litterarum Etruscarum inde in Italiam translatas esse colligitur [1]). Neque minoris sunt aestimanda monumenta Aegyptiaca, in quibus dicitur incolis Libyae bellum cum rege Merneptah gerentibus auxilium attulisse gens „ex terris mare septentrionale circumiacentibus profecta", cui nomen erat Turscha [2]). Clarissimum vero lumen cum ceteris rebus antiquissimis tum Etruscorum incunabulis inferunt vetustatis indicia, quae in locis, ubi Etrusci olim incoluerant, plurima ad lucem eruta sunt [3]). Quae testimonia si quis et inter se et cum litterarum memoria comparaverit, non poterit iis non assentiri, qui eam gentem, quae ante imperium Romanorum non solum Etruriam, sed magnam Italiae partem insulasque obtinuit [4]), et eandem dicant fuisse, quam Aegyptii appellarent Turscha [5]), Graeci Tyrsenos (Pelasgos) [6]), Umbri

[1]) Josef Keil u. Anton von Premerstein, Bericht über eine Reise in Lydien und der südlichen Aiolis; u. Kretschmer, Erläuterungen. (Denkschriften der Kais. A. der Wissenschaften in Wien. Philos. hist. Kl. B. LIII. 1908, nr 2.) p. 102 (Kretschmer): Wir kommen also zu dem Resultate, das manches für die Herkunft des etruskischen Alphabets aus Kleinasien und nichts entschieden dagegen spricht.

[2]) Quae scripta hieroglyphica Carnaci reperta a Comite de Rougé edita atque explicata sunt in Revue archéolog. 1867 T. XVI. Unde (p. 92—93) haec adferantnr: La forme ordinaire Turs'a représente le plus exactement possible la forme ancienne du nom italique des Étrusques: Tursce, Turscer, etc. contenue dans la version osque des tables eugubines, et devenue Tuscus et Etruscus. . . . Notre forme primitive Turs'a se retrouve également sous l'ethnique grec *Τυρσηνός*, dont l'assimilation a fait *Τυῤῥηνός*.

[3]) In sepulcris, aedificiorum reliquiis, armis, ornamentis Etruscis viri docti insignia originis Asiaticae conspicua esse testantur. Koerte, ib. p. 744 sqq. Furtwaengler, ib. III p. 171 sqq. O. Montelius, The Tyrrhenians (The Journ. of the Anthropological Institute of Great Britain and Ireland 1897) p. 258 sq.

[4]) Nissen, Ital. Landeskunde I p. 496—502. Müller-Deecke, ib. I p. 65—178.

[5]) Ed. Meyer, Gesch. des Altertums I 2 [2] p. 703: Dieselben (die Turša) sind ohne Zweifel identisch sowohl mit den späteren Tyrsenern von Lemnos wie mit den Tyrsenern (Etruskern) Italiens. p. 725: Von den Etruskern (einschliesslich der Rhaeter) rede ich hier nicht, da sie in Italien wohl sicher überseeische Einwanderer sind. Cfr p. 794. — Furtwaengler, ib. 24 sq. 173.

[6]) Quibus eos, quos Herodotus (I 57, II 51, V 26) et Thucydides (IV

Turskum numem [1]), et, antequam in Italiam venisset, in Aegaei maris habitasse [2]) insulis atque oris.

Originem Etruscorum, quoniam paucis absolvimus, quo auctore nisus Tertullianus exposuerit, nunc est quaerendum. Ad Etruscorum sententiam, quod supra diximus [3]), maxime quadrant quae narrat Lycophron [4]). Quid enim clarius potuerunt de initiis rerum suarum prodere quam auctorem gentis ex Heraclide oriundum una cum fratre ut milvos Italiam aggressos esse eamque magna vi subiecisse? Quas res non est cur negemus Lycophronem a Timaeo sumpsisse. [5]) Sed locus, unde profecti sumus non sine dubitatione, qualis quidem a Tertulliano refertur, Timaeo ascribitur. Namque non modo in eo, quod Tyrrhenus solus Italiam dicitur petisse, sed etiam in eo, quod in contentione regni fratri narratur cessisse, a locis Lycophroneis locus ille abhorret. Accedit quod nemo eorum, qui originem Etruscorum memoriae

---

109) sive Pelasgos sive Pelasgos-Tyrrhenos vocant, adiciendos esse docent E. Meyer (Forsch. z. alten Gesch. I p. 6 sqq. 116. 119.; Gesch. des Altertums I 2 [2] p. 685.) et Koerte (ib. p. 372 sq.). Hanc sententiam nuperrime vix recte impugnavit P. O. Schøtt (Die Herkunft der Etrusker und ihre Einwanderung in Italien. Christiania Videnskaps-Selskabs skrifter II. Hist. Filos. Kl. 1910 No. 1).

[1]) Cfr Buecheler Umbrica I B. 17. Tab. Eugub. I . Müller-Deecke, ib. I p. 65 n. 2.

[2]) Furtwaengler, ib. III p. 173: Vielleicht gehörten sie (die Etrusker) ursprünglich zu der grossen westkleinasiatischen Völkergruppe, die vor den Griechen auch die Inseln und Griechenland innehatte — Josef Durm, Die Baustile II 2 [2] p. 3: Modestov kommt in der Zusammenfassung aller Tatsachen über die Etruskerfrage zu dem unabweisbaren einzig richtigen Schluss: Die Etrusker sind ein Volk, das aus Kleinasien stammt.

[3]) p. 4 sq. [4]) Scholiastes quoque poëtam id egisse dicit, ut virtutem Tyrrhenorum laude efferret. (E. Scheer, Lycophronis Alex. II 1356—1357). De origine huius fabulae cfr Nissen, It. Landesk. I 496.

[5]) Controversiam locorum Lycophroneorum, quorum altero (v. 1246) Tyrrhenus et Tarchon Mysorum regis filii, altero (v. 1352) ex Lydia orti esse perhibentur, v. Holzinger (Alexandra, Lpzg 1895, p. 362) sic diiudicavit: Lykophron hat also sowohl für vs. 1245 ff., als auch für vs. 1351 ff. den Timaios benutzt, an letzterer Stelle aber nicht allein, sondern auch den Herodot. A Timaao sumptum esse utrumque locum censet P. Guentherus, De ea, quae inter Timaeum et Lycophronem intercedit, ratione p. 70 sq.

prodiderunt, contentionis, quae fuisset inter fratres de regno, mentionem fecerunt. Quare quae tradidit Tertullianus de causa, cur Tyrrhenus patriam reliquisset, neque ex Timaeo neque ex aliis rerum scriptoribus, quorum quidem scripta ad nostram pervenerunt aetatem, videntur sumpta esse. Quodsi qua levitate [1]) Tertullianus auctoritatem adhibeat veterum respicimus, haec loci controversia facilius explicatur. Namque verisimile est scriptorem, quo Tertullianus usus est auctore [2]), cum Timaei verbis originem Etruscorum descripsisset, inter alia facta eorum commemorasse quae Servius de condita Mantua refert [3]), ex duobus fratribus alterum, *ne cum fratre contenderet*, in agro Gallico Felsinam condidisse: permisisse etiam exercitui suo, ut castella munirent, in quorum numero Mantua fuit. Quas quaestiones, alte-

---

[1]) Conferantur quae G. Rauschen in Florilegii Patristici fasciculo IV de locis infra positis monuit: Apol. IV 6. *Non enim et ipsius Lycurgi leges a Lacedaemoniis emendatae tantum auctori suo doloris incusserunt, ut in secessu inedia de semet ipso iudicarit* ? X 7 *Saturnum . . . . neque Diodorus Graecus . . . neque Cassius Severus . . . aliud quam hominem promulgaverunt.* XXXIX 13 *lenones philosophus et censor!* XL 9 *Omnes dei vestri ab omnibus colebantur, cum ipsum Capitolium Senones occupaverant.* XLVI 8 *Quid enim Thales . . . sciscitanti Croeso de divinitate certum renuntiavit . . . .* 10 *audio et quendam Speusippum . . . in adulterio perisse.* L 9 *Zeno Eleates consultus a Dionysio.* Ac ne sanctas quidem litteras Tertullianus recte descripsit in libri, qui De carne Christi inscribitur, c. VII (Oehl. II p. 440): *mater aeque non demonstratur adhaesisse illi* (Jesu), *cum Marthae et Mariae aliae in commercio eius frequententur.* Cfr cum eo loco Joh. XIX 25. Luc. II 19, 51. De verborum auctoris alicuius adhibendorum, qua usus est Tertullianus, ratione disseruit Noeldechenius in Philologo (6. Supplementb. 1891—93 p. 730 sqq.).

[2]) Hunc locum Tertullianeum refert ad Varronem Geffckenius in libro, qui inscribitur Timaios Geographie des Westens (Philol. Untersuch. 13 H.) p. 76 n. 2: Timaios fr. 19 bei Tertullian de spect. 139, 28 ist natürlich auch aus Varro. — Ibid. p. 184. Die bedenklichen Irrtümer, welche die Timaioscitate . . . bei Plinius zeigen, machen es mir ziemlich unwahrscheinlich, dass dieser ihn wirklich noch selbst benutzt und nicht vielmehr von Varro seine ganze Kunde empfangen hat. Sicher ist dieser Weg für Citate bei Gellius, Tertullian und Censorin. Cfr Wissowa, Die Überlieferung üb. die röm. Penaten (Hermes 22) p. 41 n. 1.

[3]) Ad. Aen. X 198.

ram unde gens Etrusca, alteram unde oppidum Mantua originem duceret, fieri potuit ut Tertullianus, cum apud auctorem suum legisset a Timaeo absolutas, memoria deceptus inter se commisceret et, quae de iis acceperat, ad priorem solam referret[1]).

Iam vero ut revertamur ad id ipsum, quod instituimus, videamus quae spectaculorum fuerit apud Romanos origo. Et ad circenses primum ludos animum attendamus. Quae ludorum circensium summa fuerunt certamina, quoniam in Consualibus et Equirriis, feriis vetustissimis habita esse constat[2]), quin vernacula fuerint Romanis, dubitari vix potest. Sed ipsi ludi, quales in circo dabantur, quamvis ex certaminibus illis exorti, quae spectanda et audienda praebebant, multa peregre inducta erant. Sic corona aurea, toga picta, tunica palmata, quibus ornatus magistratus pompae praeerat, inter cetera imperii insignia regi Romanorum ab Etruscis dono datae esse narrantur[3]).. Ac tibiarum usus, quarum

---

[1]) Hic memoriae lapsus, in quem Tertullianum suspicamur incidisse, verisimilior redditur, si addimus eodem loco, ubi de fratrum contentione agitur, mentionem factam esse Tyrrheni et Tarchonis: *alii a Tarchone Tyrrheni fratre conditam dicunt* (Mantuam).

[2]) Friedlaender apud Marquardt Röm. Staatsv. III² p. 482; Wissowa, Religion u. Kultur der Römer p. 381 sq.

[3]) Dionys. Hal. AR III 61, 1 *οἱ πρέσβεις (τῶν Τυρρηνῶν) . . παρῆσαν . . (τῷ Ταρκυνίῳ) φέροντες . . τὰ σύμβολα τῆς ἡγεμονίας, οἷς ἐκόσμουν αὐτοὶ τοὺς σφετέρους βασιλεῖς, κομίζοντες στεφανόν τε χρύσεον . . χιτῶνά τε πορφυροῦν χρυσόσημον καὶ περιβόλαιον πορφυροῦν ποικίλον, οἷα Λυδῶν τε καὶ Περσῶν ἐφόρουν οἱ βασιλεῖς.* Florus I 5, 5 sq. *neque pace Tarquinius quam bello promptior. duodecim namque Tusciae populos frequentibus armis subegit . . . inde quod aureo curru quattuor equis triumphatur, togae pictae tunicaeque palmatae, omnia denique decora et insignia, quibus imperii dignitas eminet.* Eadem insignia repetunt ex Etruria Macrobius (Sat. I 6 7), Sallustius (Catil. LI 38), Symmachus (Epist. III 11, 3), Diodorus (V 40). Sed insignia illa, quae Livius (I 8) narrat a Romulo, Lydus (De mag. prooem.) ab Numa, Plinius (N. h. IX 136), Macrobius (Sat. I 6, 7), Eusebius (Chron. II p. 86 Schoene) a Tullo Hostilio esse assumpta, verisimile est a Tarquinio Prisco, ut ex Etruria orto accepta esse. Coronae aureae nomen ipsum, quod appellatur Hetrusca [Tert. de corona XIII (O. I 449) *superferuntur etiam illis* (magistratibus) *Hetruscae*; Plin. N. h. XXXIII 11], originem eius indicat. — Cfr Müller-Deecke, Etrusker I p. 345 sq. Marqu. Privatleben der Römer II² 542 sq. Wissowa R. u. K. 384 n. 4.

ad modos pompa procedebat, ex Etruria erat ductus [1]), unde equos quoque ad ludos accitos esse Livius adfirmat [2]). Iam vero rex Tarquinius, qui primus ludos circenses dedisse fertur [3]), generis stirpe ostendit, ubi initia ludorum circensium quaerenda sint.

Ludi scaenici unde originem ceperint investigaturus si Livium [4]) consulueris, principium eorum invenies ab Etruria ductum esse: *C. Sulpicio Petico C. Licinio Stolone consulibus pestilentia fuit . . . cum vis morbi nec humanis consiliis nec ope divina levaretur, . . . ludi quoque scenici . . . inter alia caelestis irae placamina instituti dicuntur. ceterum parva quoque, ut ferme principia omnia, et ea ipsa peregrina res fuit. sine carmine ullo, sine imitandorum carminum actu ludiones, ex Etruria acciti, ad tibicinis modos saltantes, haud indecoros motus more Tusco dabant.* Eamque saltationem Etruscam Livius ait [5]) primo ab iuvenibus Romanis imitando exhibitam esse, sed ita ut saltantes *inconditis inter se iocularia* funderent *versibus* vel *Fescennino versu similem inconpositum temere ac rudem alternis* iacerent motusque vocibus accommodarent, posterius vero ab histrionibus, artificibus vernaculis exceptam, donec Livius Andronicus primus fabulam ad actus scaenarum compositam doceret. Sic Livius rem absolvit. Sed cum viri docti hanc disserendi rationem ostenderint [6]) ex scholis Peripateticorum sumptam esse, cavendum est ne testimonio eius temere confidamus. Neque tamen adeo velim in verbis Livii reprehendendis progredi, ut singula, quae de rei scaenicae principiis memoriae prodiderit, ficta esse censeam omnia [7]). Immo de ori-

---

[1]) Müller-Deecke, Etrusker II p. 200 sqq.

[2]) I 35, 9 *ludicrum fuit equi pugilesque, ex Etruria maxime acciti.*

[3]) Livius ib. [4]) VII 2. [5]) Ib.

[6]) Hendrickson, The dramatic Satura and the old comedy at Rome (American Journal of Philology Vol. XV. 1894 p. 1 sqq. XIX. 1898 p. 285 sqq.). Leo, Vorgeschichte des röm. Dramas (Hermes 39, 1904 p. 63 sqq.).

[7]) Hendrickson ib. XV p. 3: It is not my purpose to review the history of the fruitless interpretations and hypotheses to which this passage has given rise, . . . since all of them (have been made) in ignorance of the fact, observed by F. Leo [Hermes, 2 (1867), p. 225], that we have not in this review the genuine data either of *history* or *tradition*, but a series of statements derived for the most part from Aristotle's account of the development of Attic comedy.

gine ludorum scaenicorum verisimile est apud Romanos quandam restitisse memoriam, cuius reliquias dispersas Livius vel auctor eius in unum collegit, sed ita exposuit, ut in componendis rebus exemplum Peripateticorum sequeretur. Unde factum est, ut res scaenica apud Romanos per easdem vices atque apud Graecos ad summum illud artificium processisse traderetur. Eiusmodi res, quibus fidem cur abrogem non satis causae esse perspicio, putaverim esse et quae Livius de versibus incompositis et quae de saltatoribus Etruscis tradidit. Nam cum Reichius rem mimicam inde ab VIII:o a. Chr. saeculo in Sicilia Magnaque Graecia cultam esse docuerit [1]), scriptoresque Romani maiores suos praecipue ruri habitantes iocis rei mimicae similibus operam dedisse narraverint [2]), haud improbabile mihi videtur artem mimicam, qualis tum erat, apud Romanos iam multo ante Livii Andronici tempora notam cultamque esse [3]). Quare iocularia illa, alternis vicibus fusa, quorum Livius meminit, incredibile non est vetustissimae artis scaenicae germina fuisse [4]). Neque cum ignari non simus, quantum usum antiquissimis utique temporibus habuerint Romani cum Etruscis, intellego cur fieri non potuerit, ut saltatores Etrusci non eo solum anno, quo memoriae prodidit Livius, sed multo iam prius ad deorum iras placandas Romam invitarentur [5]) saltatioque eorum vernaculis a mimis exciperetur.

---

[1]) Der Mimus p. 15. 476: Der sizilisch-italische Mimus stammt aus dem Peloponnes. Die dorischen Kolonisten nahmen ihn schon bei der Auswanderung mit in ihre neue Heimat. Besonders blühte der Mimus im sizilischen Megara, wo Epicharm zuerst, dann in Syrakus, wo er später lebte und nach ihm Sophron. Beide Städte sind etwa am Anfang des achten Jahrhunderts gegründet worden, ebenso Tarent, das gleichfalls eine Pflegestätte des italischen Mimus, des Phlyax war. De Phlyace, quae nominatur, cfr ib. p. 15. 235. 257 n. 1. 377. 496. Ribbeck, Gesch. der röm. Dichtung I p. 8 sq. 207 sq.

[2]) Horat. Epist. II 1, 139 sqq. Verg. Georg. II 384 sqq.

[3]) Reich ib. p. 262.

[4]) Leo in Hermarum vol. XXIV p. 76 versus illos refert ad morem, qui iam tum apud gentem Romanam valebat.

[5]) Quantum apud Etruscos valuissent ludi, ostenderunt Müller-Deecke, Die Etrusker II p. 197, et Micali, Storia degli antichi popoli Italiani II p. 233 sqq.

Sed si quis Livio Horatioque [1]) nisus subtiliorem artem scaenicam, quae inde ab Livii Andronici aetate Romanis praebebatur, vernacula ex origine exstitisse putaverit, magno in errore versetur. Namque satis luculenter a viris doctis demonstratum est fabulae praetextatae, togatae, palliatae, mimicae originem petendam esse in Graecia [2]).

De origine spectaculorum, quae munera vocabantur, Tertulliani quae est sententia et scriptorum testimoniis et artis monumentis et verborum notionibus satis confirmatur. Namque apud Etruscos et Campanos gladiatores inter epulas ut convivas delectarent certasse traduntur [3]). Iam quod et sepulcra et urnae [4]) eorum signis, quae gladiatorios ad ludos pertinent, ornata sunt, cur in eiusmodi monumentis gladiatores picti sint vix ullam aliam inveneris causam, nisi quod iis muneribus funera celebrabantur [5]). Et lanistae voce, quae a Tusca lingua deducitur [6]), origo illustratur munerum. Sed venationes, quoniam ex partibus constabant, quae, priusquam spectaculis essent iniunctae, aut in feriis

---

[1]) Epist. II 1, 139 sqq.

[2]) Mommsen, Röm. Gesch. I [8] p. 459. 883 sqq. Reich ib. p. 558: Es giebt keine selbständige Entwickelung im Mimus ausserhalb der griechischen. Die Lateiner sind, wie überall, auch hier die Nachahmer.

[3]) Nicol. Damasc. apud Athen. IV 153 *τὰς τῶν μονομάχων θέας οὐ μόνον ἐν πανηγύρεσι καὶ θεάτροις ἐποιοῦντο Ῥωμαῖοι, παρὰ Τυρρηνῶν παραλαβόντες τὸ ἔθος, ἀλλὰ κἀν ταῖς ἑστιάσεσιν.* Strab V 250 (IV 13) *Καμπανοῖς δὲ συνέβη διὰ τὴν τῆς χώρας εὐδαιμονίαν ἐπ' ἴσον ἀγαθῶν ἀπολαῦσαι καὶ κακῶν. ἐπὶ τοσοῦτον γὰρ ἐξετρύφησαν ὥστ' ἐπὶ δεῖπνον ἐκάλουν πρὸς ζεύγη μονομάχων, ὁρίζοντες ἀριθμὸν κατὰ τὴν τῶν [συν]δείπνων ἀξίαν.* Liv. IX 40, 17 *Campani ab superbia et odio Samnitium gladiatores, quod spectaculum inter epulas erat, eo ornatu armarunt Samnitiumque nomine conpellarunt.* Silius It. XI 51—54. Müller-Deecke, Etrusker II 223 sq.

[4]) Micali ib. I p. 311, II 236 et n. 54. Meier, De gladiatura p. 36 n. 1.

[5]) Romae quoque primum munus ad memoriam mortui honorandam datum esse Val. Max. narrat II 4, 7.

[6]) Isidor Etym. X, 160 Migne: *Lanista, gladiator, id est, carnifex Tusca lingua appellatus, a laniando, scilicet corpora.* Isidori sententiam Walde (Lat. etym. Wörterb.[2]) improbat. Cfr Friedl. ib. II [8] 360 n. 2.

vetustis celebratis [1]) aut in noxiis supplicio affectis [2]) usu venerant, verisimile est apud Romanos ipsos exstitisse.

Quartum denique genus ludorum, agones qui dicuntur, Graecas ad artes, id quod ipso nomine indicatur [3]), referendum esse docet Livius, qui ad primos, qui Romae committebantur, agones artifices ex Graecia invitatos esse narrat [4]). Quamquam singula certamina, ex quibus agones constabant, iam prius Romae sive ab ipsis Romanis [5]) sive ab Etruscis [6]) habita esse constat.

Quare si omnia ludorum genera apud Etruscos fuisse nota, alia vero, ludos circenses et munera inde Romam esse translata, aliis instituendis incitamenta inde manasse consideravimus, Tertullianum sive eum, quem ille sequitur, cum spectacula in Etruria instituta Romanos sibi vindicasse dicat, summam rem recte diiudicasse concedemus.

Neque hoc loco praetermittenda est causa, cur veteres originem ludorum Etruscis ascripserint. Narrat enim Herodotus [7]) Lydos in eadem annonae caritate, quae causa fuit emigrandi, antequam in Italiam transmitterent, invenisse ludos, quibus obeundis alternis diebus cibi desiderium restinguerent. Qua fabula

---

[1]) Capreas leporesque narrat Ovidius (Fast. V 371 sq.) Floralibus, vulpes Cerealibus (ib. IV 681 sq.) agitatas esse. Cfr Preller-Jordan, Röm. Mythol. II p. 43.

[2]) Mommsen, Röm. Strafr. p. 925 sqq. Friedlaender, Sitteng. II[8] p. 393.

[3]) Agones Graeci ludi appellantur: Cic Ep. ad Att. XVI, 5. 1; ad fam. VII 1, 3.

[4]) Liv. XXXIX 22 *adparatos deinde ludos M. Fulvius, quos voverat Aetolico bello, fecit. multi artifices ex Graecia venerunt hŏnoris eius causa. athletarum quoque certamen tum primo Romanis spectaculo fuit.* Ad Graecos refert eosdem ludos Tertullianus Scorp. VI (I 156, 11) *agonas istos, contentiosa sollemnia et superstitiosa certamina Graecorum et religionum et uoluptatum.* De pallio IV (O. I 933) *Revera enim quale est Graecatim depilari magis quam amiciri.* Friedl. ib. II[8] p. 483.

[5]) Robigalibus maiores minoresque currebant. (Fast. Praen. ad Apr. 25 CIL I [2] p. 236. In ludis Capitolinis fuisse qui caestibus dimicarent et cursu contenderent Ennius narrat in schol. Bern. ad Verg. Ge. II 384.

[6]) Liv. I 35, 9 pugiles ex Etruria accitos esse commemorat. [7]) I 94.

in errorem inducti veteres grammatici ludium et ludionem [1]) voces ex Lydorum nomine ductas putabant, eosque secutus Tertullianus: *inde* (ex Etruria) *Romani arcessitos artifices mutuantur, tempus, enuntiationem, ut ludii a Lydis uocarentur.* Quamquam aliud quoque, quod recte [2]) excogitatum erat, ludii vocis veriloquium Tertullianus refert: *Varro ludios a ludo id est a lusu* [3]) *interpretatur* [4]). Utrumque etymon facile inter se coniungitur, si ex Etruria primos ludiones Romam accitos esse ibique saltando, id quod ludendi verbi primaria est notio [5]), artem suam exhibuisse meminerimus. Gravius argumentum, quo ludorum originem ostenderet ex Etruria esse petendam, potuit Tertullianus adferre, si histrionis nomen commemorasset, quod Etrusci sermonis proprium esse Livius [6]) dixit neque huius aevi qui sunt viri docti [7]) negant.

Quid vero senserit Tertullianus, cum praeter artifices enuntiationemque ludorum *tempus* diceret ex Etruscis sumptum esse, quod haud facile ita erueris ut cum reliqua sententia congruat, librarii errore vocabulum illud putaverim sic traditum esse et in verbum *itemque* restituendum.

---

[1]) Eiusmodi veriloquii specimina tradiderunt Dionysius Hal. AR II 71, 4 *καί εἰσιν οὗτοι τῆς πομπῆς ἡγεμόνες, καλούμενοι πρὸς αὐτῶν ἐπὶ τῆς παιδιᾶς τῆς ὑπὸ Λυδῶν ἐξευρῆσθαι δοκούσης Λυδίωνες*; App. Pun. 60; Hesych. 60. Simili derivandi ratione usi Tuscorum nomen cum sacrificandi verbo Graeco composuerunt grammatici. Serv. ad. Verg. Aen. X 164 *Tusci a frequenti sacrificio sunt dicti ἀπὸ τοῦ θύειν.* Plin. N. h. III 50. Lyd. De mag. prooem.

[2]) Cfr Müller-Deecke ib. II p. 215 n. 78.

[3]) Quid intersit inter ludi et lusus voces, ostendit Doederlein (Lat. Synon. II p. 28 sqq.).

[4]) Huius superiorisque enuntiati quae sit vera conexio, docet K. Werber Tertullians Schrift De spect. in ihrem Verhältnisse zu Varros Rerum divinarum libri (Progr. des Staats Gymnasiums in Teschen 1896) p. 6.

[5]) J. M. Stowasser Lat.-Deutsches Schulwörterb.[2] s. v.

[6]) VII 2, 6 *quia ister Tusco verbo ludius vocabatur.*

[7]) Cum Livio faciunt E. Windisch, Zeitschr. f. vergl. Sprachforsch. auf dem Geb. d. indog. Spr. B. XXVII (1885) p. 169, et A Walde (Lat. etym. Wörterb.[2] s. v.), qui ib. *personae* vocabuli originem repetit ex lingua Etrusca.

II. De ludorum nominibus.

De ludorum nominibus disserentes primum quidquid de iis Tertullianus commemoravit paucis illustrabimus, deinde a quibus ludos editos esse dixerit persequemur, postremo quantus Tertullianea aetate omnium, qui ludis celebrabantur, dierum fuerit numerus eruere conabimur. Atque inter singulos ludos primum publicos, a vetustissimis ordientes, deinde privatos tractabimus.

Ludos publicos apud Romanos artissime cum rebus divinis fuisse coniunctos [1]), id quod Tertullianus spectaculis summo tribuit [2]) vitio, non est cur negemus. Immo vetustissimos ludos nihil aliud fuisse nisi partem caerimoniarum, ex quibus nonnullae remotissimae aetatis feriae constabant, Th. Mommsenius [3]) aliique [4]) docuerunt. Eiusmodi ferias, quarum pars ludi circenses erant, duas [5]) saltem fuisse constat, Equirria et Consualia. De quibus quid sit in libro De spectaculis memoriae proditum iam videamus.

Atque ab Equirriis [6]) incipiamus, quae Tertullianus sic absolvit [7]): *dehinc Ecurria ab equis Marti Romulus dixit.* Equirria sive Ecurria, quae a Romulo Marti consecrata esse praeter Tertullianum

---

[1]) Friedlaender apud Marquardt, Röm. Staatsverw. III [2] 482. Wissowa, R. u. K. 31 et 381 sqq.

[2]) De spect. IV (I 6, 8). VI (8, 15). XII (14, 23; 15, 2 sqq). XIII (15, 14 sq). XIV (16, 5).

[3]) Die ludi magni und Romani, Röm. Forsch. II p. 42 sq.

[4]) Friedlaender et Wissowa ib.

[5]) Iidem ib. [6]) De Equirriis novissime disseruit Wissowa in Pauly-Wissowa, Real-Encycl. VI 271.

[7]) De spect. V (I 7, 9).

alii [1]) dicunt, ad seriem feriarum pertinent vernalium, quibus Romani deum belli, antequam expeditiones annuas susciperent, sibi conciliabant [2]). Celebrata vero et III kal. Mart. et pridie id. Mart. traduntur esse [3]). Caput feriarum, quippe quibus equi militares lustrarentur [4]), ludi erant, qui ita fiebant, ut equi curribus iuncti per campum Martium discurrerent [5]).

Consualia [6]), quae vocantur feriae, in honorem Consi ab eodem Romulo instituta esse Tertullianus aliique ferunt [7]). Cuius dei quae fuerit vis propria veraque natura, Mommsenius ita docet [8]): *scilicet Consus deus est condendi, id est messis horreorumque, unde ara eius latere solet sub terra secundum antiquissimam frugum ita condendarum consuetudinem nec nisi festis eius diebus aperitur.* Atque ad illam Mommsenii sententiam tuendam alii et anni tempora, quibus Consualia celebrabantur, et caerimonias, quibus agebantur, in memoriam revocant [9]). Namque de diebus, qui in fastis Consualibus celebrandis constituti sunt [10]), alter XII kal.

---

[1]) Paul. p. 81 Muell. *Equiria ludi, quos Romulus Marti instituit per equorum cursum, qui in campo Martio exercebantur.*

[2]) Wissowa R. u. K. 131. [3]) CIL I [2] p. 310, 311.

[4]) Ovid. Fast. II 857 sqq. *Iamque duae restant noctes de mense secundo, Marsque citos iunctis curribus urget equos; ex vero positum permansit Equirria nomen, quae deus in campo prospicit ipse suo.* — Wissowa R. u. K. p. 131.

[5]) Ovid. ib. — Paul. ib. — Varro De l. l. VI 13 *Ecurria ab equorum cursu; eo die enim ludis currunt in Martio campo.* Ovid. Fast. III 517 sqq. *Sex ubi sustulerit, totidem demerserit orbes, purpureum rapido qui vehit axe diem, altera gramineo spectabis Equirria Campo.*

[6]) Haec pertractata sunt ab Austio apud Pauly-Wissowa R-E. IV 1111 et a Wissowa in Roscheri Lexico I 924 sqq.

[7]) De spect. V (I 7, 10) *quamquam et Consualia Romulo defendunt, quod ea Conso dicauerit.* Id. Adv. Marc. I 18 (III 313, 26) *alioquin, si sic homo deum commentabitur, quomodo Romulus Consum . . ., hoc aliis licebit.* Varro De l. l. VI 20 *Consualia dicta a Conso quod tum . . . ludi illi, quibus virgines Sabinae raptae.* Dion Halic. AR II 31, 2 *τὴν δὲ τότε ὑπὸ Ῥωμύλου καθιερωθεῖσαν ἑορτὴν ἔτι καὶ εἰς ἐμὲ ἄγοντες Ῥωμαῖοι διετέλουν Κωνσουάλια καλοῦντες . . . καλεῖται δὲ ὁ θεός, ᾧ ταῦτ᾽ ἐπιτελοῦσι, Κῶνσος ὑπὸ Ῥωμαίων.*

[8]) CIL I [2] p. 326 ad Aug. 21. [9]) Wissowa R. u. K. p. 166 sq.; Aust apud Pauly-Wissowa R-E. IV 1147 et loco supra allato.

[10]) CIL I [2] pp. 237, 240, 245.

Sept. in messis condendae, alter XVIII kal. Ian. in sementis faciendae tempus incidit. Quorum priore die, quae agebantur Consualia, maiores principalesque feriae messium [1]), sola apud Tertullianum [2]) nominantur: *sacrificant apud eam* (aram Consi) *nonis Iuliis sacerdotes publici, XII Kalend. Septembres flamen Quirinalis et uirgines.* De sacro, quod sacerdotes publici, id est pontifices [3]), nonis Iul. apud aram Consi faciebant, nihil aliud innotuit. Quodsi eius, cui factum est sacrum, dei rationem habemus, ad operis cuiusdam rustici consummationem referendum putamus [4]). Ipsis vero feriis praeter alios ludos [5]) fiebant circenses, ubi muli, qui Conso erant sacri, currebant [6]), equi asinique agricolarum coronati per totum diem laborum immunes errabant [7]).

Sed posteriore aetate qui esset deus Consus homines ab agricultura alienati cum iam ignorarent, vel ex nomine eius vel ex cultu statuere coniciendo sunt conati. Alii ex ea, quae est inter Consi consiliique nomina, similitudine profecti deum, cum aram eius in terra conditam scirent, pro consiliorum secretorum

---

[1]) Wissowa ib. 167 n. 2. [2]) De spect. V (I 7, 20 sq).

[3]) Wissowa ib. 167 et 445. [4]) Cfr id. ib. p. 370 et n. 5.

[5]) Varro ap. Nonium p. 21 *etiam pellis bubulas oleo perfusas percurrebant ibique cernuabant. a quo ille versus vetus est in carminibus: ibi pastores ludos faciunt coriis Consualia.* Dion. Hal. AR II 30, 3 *ἀγῶνας ἄξειν ἔμελλεν . . . ἀνδρῶν παντοδαπούς.*

[6]) Paul p. 148 Muell. *Mulis celebrantur ludi in Circo maximo Consualibus, quia id genus quadrupedum primum putatur coeptum currui vehiculoque adiungi.* — Equis certamen factum testantur Dion. Hal. AR II 30, 3 *καὶ γὰρ ἀγῶνας ἄξειν ἔμελλεν* (*Ῥωμύλος*) *ἵππων.* II 31, 2 *ἐν ᾗ* (*ἑορτῇ*) . . . *δρόμος ἵππων ζευκτῶν τε καὶ ἀζεύκτων ἐπιτελεῖται;* Strab. V 230; Polyaen. VIII 3. — Ludos vel Circenses datos commemorant Varro De l. l. VI. 20 *Consualia dicta a Conso, quod tum feriae publicae ei deo et in circo ad aram eius ab sacerdotibus ludi illi, quibus virgines Sabinae raptae;* Serv. Aen. VIII 636; Plut. Rom. 14; Liv. I 9, 6.

[7]) Dion. Hal. AR I 33, 2 *τὴν ἑορτὴν . . ., Κωνσουάλια ὑπὸ Ῥωμαίων λεγόμενα κατεστήσαντο, ἐν ᾗ παρὰ Ῥωμαίοις ἐξ ἔθους ἐλινύουσιν ἔργων ἵπποι καὶ ὀρεῖς καὶ στέφονται τὰς κεφαλὰς ἄνθεσι.* CIL I [2] p. 237 (Fasti Praenest. Dec. 15) *Feriae Conso. Equi et* [*muli floribus coronantur*] *quod in eius tu*-[*tela sunt*]. — Plut. Qu. R. 48.

deo habebant eiusque monitu virgines Sabinas primis Consualibus raptas esse putabant [1]). Alii cultus huius dei Romani atque Graeci dei, qui *Ποσειδῶν ἵππιος* appellatur, inter se comparantes eosdem esse censebant [2]). Alii vero utramque, quam supra nominavi, sententiam coniungebant [3]). Quas varias sententias apud Tertullianum invenies: ad nat. II 11 (I 115, 17) *habent . . . a consiliis Consum;* de spect. c. V (I 7, 8) *exinde ludi Consualia dicti, qui initio* [4]) *Neptunum honorabant; quamquam et Consualia Romulo defendunt, quod ea Conso dicauerit deo ut uolunt, consilii, eius scilicet, quo tunc Sabinarum uirginum rapinam militibus suis*

---

[1]) Paul. p. 41 Muell. *Consualia ludi dicebantur, quos in honorem Consi faciebant, quem deum consilii putabant;* Arnob. III 23 *Salutaria et fida consilia nostris suggerit cogitationibus Consus;* August. De civ. dei IV 11; Ovid. Fast. III 199 sqq.; Lydus De mag. I 30. — Virgines Sabinas Consualibus raptas narrant Cic. de rep. II 12; Dion. Hal. AR II 30, 4 sqq.; Liv. I 9, 9 sqq.; Varro De l. l. VI 20; Plut. Rom. 14. 16; Polyaen. VIII 3; Strab. V 230; Ps.-Asc. p. 142 Or.; Hieron. v. Hilar. 20. Cfr Tert. Adv. Val. XXXII (III 208, 8); ad nat. II 9 (I 112, 24). Schwegler RG 460.

[2]) Liv. I 9, 6 *Romulus . . . ludos ex industria parat Neptuno Equestri sollemnis: Consualia vocat;* Polyaen. VIII 3 *Ῥωμύλος Ῥωμαίων γυναῖκας οὐκ ἐχόντων ἐκήρυξεν ἀνὰ τὰς γείτονας πόλεις, ἃς ἑορτὴν ἄξοι δημοτελῆ Ποσειδῶνος Ἱππίου καὶ ἀγῶνας ἵππων ἐπὶ ἄθλοις μεγίστοις.* Vox attributa *ἵππιος* omissa est a Strabone V 230 *(ὁ Ῥωμύλος) ἐπηγγείλατο ἕνα ἀγῶνα ἱππικὸν τοῦ Ποσειδῶνος ἱερόν, τὸν καὶ νῦν ἐπιτελούμενον.* Ausonius Consum Neptunumque prorsus inter se commiscuit p. 149 v. 86 Peiper *Nunc et terrigenis patribus memoremus Athenas, Pallados et Consi quondam certaminis arcem;* p. 161 v. 46 *Tum Iouis et Consi germanus, Tartareus Dis;* p. 340 v. 9.

[3]) Serv. Aen. VIII 636 *Consus autem deus est consiliorum, qui ideo templum sub circo habet, ut ostendatur tectum esse debere consilium . . . iste Consus et eques Neptunus dicitur, unde etiam in eius honorem circenses celebrantur.* Ps.-Asc. p. 142 sq. Or. *Alii ideo magnos ludos vocatos putant, quod [Conso], consiliorum secretorum deo, id est, Neptuno, laticum regi et rerum conditarum . . . dati sunt: quibus aiunt raptas Sabinas esse;* Plut. Rom. 14 *Ὠνόμαζον δὲ τὸν θεὸν Κῶνσον, εἴτε βουλαῖον ὄντα . . . εἴτε ἵππιον Ποσειδῶ.* Lydus, De mag. I 30; Dion. Hal. AR II 30, 3. 31, 2.

[4]) Tertullianus, cum initio dicit Consualibus Neptunum honoratum, ad id videtur spectare, quod iam Arcades, qui ante bellum Troianum duce Euandro in Italiam venissent (Dionys. Hal. I 31, 2), ferias illas Neptuno Equestri consecrasse narrantur (id. I 33, 2).

in matrimonium excogitauit; ib. c. IX (I 11, 2) *sed et Neptunus equestris est, quem Graeci ἵππιον appellant.*

Ad intimam illam rationem, quae est inter ludos religionesque Romanorum, demonstrandam Tertullianus alias quoque praeter Consualia et Equirria adhibet ferias vetustissimas, in quibus celebrandis ritus ludis similes observabantur. Eiusmodi feriae erant Lupercalia, de quibus Tertullianus [1]) haec memoriae prodidit: *sed etsi Varro ludios a ludo, id est a lusu interpretatur, sicut et Lupercos ludios appellabant, quod ludendo discurrant, tamen eum lusum iuuenum et diebus festis et templis et religionibus reputat.* Iam qui fuerit ludus ille, quibus diebus, quibus templis religionibusque addictus, quem exsequebantur Luperci, videamus [2]). Hoc collegium Fauno colendo antiquitus institutum [3]), feriis publicis, quae Lupercalia appellabantur, XV kal. Martias [4]) in Lupercali capros immolabant [5]) cultroque cruento frontes duorum iuvenum attingebant, quibus, cum cruor statim lana lacte imbuta esset detersus, arridendum erat [6]). Dape facta Luperci pellibus hostiarum accincti februisque instructi, quibus feminas obviam euntes feriebant, nudo corpore circum Palatinum montem currebant [7]).

---

[1]) De spect. V (I 6, 28 sqq.). [2]) Copiosius de Lupercalibus disseruerunt Marquardt, Staatsverw. III [2] 438 sqq.; Wissowa R. u. K. 172 sqq. et 483 sqq.; id. in Roscheri Lexico I 1457 sq.; W. Mannhardt, Myth. Forsch. p. 72 sqq. De nomine cfr J. Jordan, Kritische Beitr. p. 163 sqq.

[3]) Ovid. Fast. II 267 sq. *Tertia post Idus nudos Aurora Lupercos aspicit, et Fauni sacra bicornis èunt.* Id. ib. V 101. Plut. Rom. 21 *Γάϊος δὲ Ἀκίλιος ἱστορεῖ πρὸ τῆς κτίσεως τὰ θρέμματα τᾶν περὶ τὸν Ῥωμύλον ἀφανῆ γενέσθαι· τοὺς δὲ τῷ Φαύνῳ προσευξαμένους ἐκδραμεῖν γυμνοὺς ἐπὶ τὴν ζήτησιν, ὅπως ὑπὸ τοῦ ἱδρῶτος μὴ ἐνοχλοῖντο· καὶ διὰ τοῦτο γυμνοὺς περιτρέχειν τοὺς Λουπέρκους.* Cic. pro Cael. XI 26.

[4]) CIL [2] 310 ad Febr. 15. Ovid. Fast. II 267.

[5]) Varro De l. l. V 85 *Luperci quod Lupercalibus in lupercali sacra faciunt.* Ib. VI 13. Serv. ad Verg. VIII 343 *sub monte Palatino est quaedam spelunca, in qua de capro luebatur, id est sacrificabatur.* Ovid. Fast. II 361 *cornipedi Fauno caesa de more capella.* Ib. II 445. Plut. Rom. 21.

[6]) Plut. Rom. 21.

[7]) Fest. p. 57 Muell. *Mos . . . erat Romanis in Lupercalibus nudos discurrere et pellibus obvias quasque feminas ferire.* Val. Max. II 2, 9 *facto sacrificio caesisquê capris epularum hilaritate ac uino largiore prouecti, diuisa*

Neque praetermittendum est, quod cane quoque eodem die sacrificabant[1]). Quo sacrificio ambituque sollemni id actum esse dicunt scriptores, ut pecus totusque vicus pastorum vere ineunte lustraretur[2]). Pluralis numerus, qui in verbis Tertulliani „die-

---

pastorali turba, cincti obuios pellibus immolatarum hostiarum iocantes petiuerunt. Plut. 21 Ἐκ δὲ τούτου τὰ δέρματα τῶν αἰγῶν κατατεμόντες διαθέουσιν ἐν περιζώσμασι γυμνοί, τοῖς σκύτεσι τὸν ἐμποδὼν παίοντες. Αἱ δ' ἐν ἡλικίᾳ γυναῖκες οὐ φεύγουσι τὸ παίεσθαι, νομίζουσαι πρὸς εὐτοκίαν καὶ κύησιν συνεργεῖν. Id. Caes. 61. Ovid. Fast. II 425 sqq. *Nupta quid expectas? non tu pollentibus herbis nec prece nec magico carmine mater eris. excipe fecundae patienter verbera dextrae: iam socer optatum nomen habebit avi.* Ib. II 445 sqq. Juven. II 140 sqq. *steriles moriuntur et illis turgida non prodest condita pyxide Lyde, nec prodest agili palmas praebere luperco.* Scholia vetera ad eundem locum: *Steriles mulieres februantibus lupercis se offerebant et ferula verberabantur.* Ovid. Fast. II 361 sq. Justin. XLIII 1, 7. Lact. Inst. I 21, 45. — Mos ille unde exortus sit, narrant Serv. ad Verg. Aen. VIII 343 *nam Remum et Romulum ante urbem conditam lupercalia celebrasse eo quod quodam tempore nuntiatum illis sit latrones pecus illorum abigere: illos togis positis cucurrisse caesisque obviis pecus recuperasse: id in morem versum, ut hodieque nudi currant.* Ib. 663; Plut. Rom. 21. Dion Halic. I 80. — Cursus a Lupercali inceptus (Dionys. Hal. I 80. Plut. Rom. 21) via solita, quae etiam Taciti aetate cippis signata erat (Tac. ann. XII 24. Jordan Topogr. I 1 p. 163 sqq.), quotannis peractus est.

[1]) Plut. Rom. 21 Ἴδιον δὲ τῆς ἑορτῆς τὸ καὶ κύνα θύειν τοὺς Λουπέρκους. Id. Qu. R. 111.

[2]) Varro De l. l. VI 13 *Rex cum ferias menstruas nonis Februariis edicit, hunc diem Februatum appellat. Februm Sabini purgamentum, et id in sacris nostris verbum; nam et Lupercalia Februatio.* Ib. VI 34 *ego magis arbitror Februarium a die februato, quod tum februatur populus, id est lupercis nudis lustratur antiquum oppidum Palatinum gregibus humanis cinctum.* Ovid. Fast. II 31. V 102. Dion. Hal. AR I 80, 1 τοῦτο δὲ καθαρμόν τινα τῶν κωμητῶν πάτριον ἐδύνατο, ὡς καὶ νῦν ἔτι δρᾶται. De lustratione cfr Wissowa R. u. K. p. 327. — Constat apud Fennos quoque olim armenta et pecora, ut aestate augerentur, a bestiis morbisque servarentur, ab erroribus prohiberentur, incantamentis, ambulationibus ceterisque artibus magicis ineunte vere lustrata esse. Cfr J. W. Murman in annalibus Fennicis, quibus nomen est Suomi (1854 p. 293 sqq.); E. Salmelainen ib. (1852 p. 135). De feriendi apud varias gentes more lustrifico cfr Mannhardt ib. p. 140 sqq.

bus" et „templis" occurrit, ad concinnitatem cum verbo „religionibus" servandam positus est aut ad ferias illas quotannis repetitas spectat.

Lupercalia, quae re publica cadente erant neglecta, ab Augusto novata refloruerunt[1]) atque usque ad annum p. Chr. 494 manserunt, quo anno ab episcopo Gelasio festo Christiano commutata esse traduntur[2]).

Postea[3]) in testimonium idololatriae, quae in ludis insit, citantur Liberalia: *nam et cum promiscue ludi Liberalia uocarentur, honorem Liberi patris manifeste sonabant.* Liberalia[4]), quibus celebrandis dies XVI kal. Apr. destinatus erat, secundum fastos Caeretanos Libero Liberae erant consecrata[5]). Qui Liber ab Iove Libero provinciis, quae Iovis primitus erant propriae, divisis ortus[6]) nascenti vitae non modo hominum, sed etiam animalium frugumque prospicere credebatur[7]). Feriae ei consecratae cur vulgo ludi nominati sint, ex locis ubi celebrati describuntur non satis elucet. Neque enim eo, quod narratum est Liberalibus anus hedera coronatas libas venditasse, quarum frustis emptoris nomine in foculis sacrificarent[8]), neque eo quod iisdem feriis ho-

---

[1]) Suet. Aug. 31.

[2]) Gelasii epist. adv. Andromachum (Coll. Avellana, rec. Guenther) p. 453 sqq. Usener, Religionsgesch. Untersuch. I² 311 sq. Marquardt, Staatsv. III² p. 446.

[3]) De spect. V (I 7, 5).

[4]) Quae planissime explicavit Wissowa in Roscheri Lexico II 2021 sqq. et in enchiridio R. u. K. p. 242 sqq.

[5]) CIL I² 328.

[6]) Wissowa R. u. K. p. 105 sq.

[7]) Varro apud Augustinum De c. d. VII 21 (Liberum) *liquidis seminibus ac per hoc non solum liquoribus fructuum, quorum quodam modo primatum uinum tenet, uerum etiam seminibus animalium praefecerunt.* Ib. VI 9 *Liberum a liberamento appellatum uolunt, quod mares in coeundo per eius beneficium emissis seminibus liberentur.* Ib. IV 11. VII 2, 3, 16. A. Schnegelsberg, De liberi ap. Rom. cultu p. 33 sqq.

[8]) Varro De l. l. VI 14 *Liberalia dicta quod per totum oppidum eo die sedent sacerdotes Liberi, anus hedera coronatae, cum libis et foculo pro emptore sacrificantes.* Ovid. Fast. III 713 sqq.

mines in publico cenasse [1]) aut pueros togam sumpsisse virilem [2]) traditum est, significatio illa explanatur. Videtur igitur scriptor, quem sequitur Tertullianus, cum Liberalia inter ludos publicos recepit, non Italicas Liberi patris ferias cogitasse, sed eodem errore ductus, quo factum erat ut ludi scaenici Romani cum Graecis aequarentur, Graecas illas, quae Dionyso erant consecratae, Romanos inter ludos recensuisse [3]). Ad eundem deum Graecum, qui posteriore aetate cum Libero patre confundebatur [4]), spectant quae, ut Liberalium instituendorum causam adferret, superiori sententiae adiecit Tertullianus: *Libero enim a rusticis primo fiebant ob beneficium quod ei adscribunt demonstrati gratia uini.*

Robigalia [5]), de quibus Tertullianus haec tradit [6]): *post hunc* (Romulum) *Numa Pompilius Marti et Robigini* (ludos) *fecit (nam et robiginis deam finxerunt)*, cur in numero ludorum sint habita iam videamus. Robigo sive Robigus, quae nominis forma ab Iordano praefertur priori [7]), deus erat indiges [8]), quem agricolae venerabantur ne robigo [9]) segetibus noceret [10]). Quare, quo tempore malum illud maxime impendebat, eae feriae celebrabantur. Die festo, qui erat VII kal. Mai., benevolentia dei ita petebatur, ut cum pompa sollemnis via Claudia ducta esset ad milliarium V, ubi lucus deo sacer erat, flamen Quirinalis ibi canem et ovem

---

[1]) Tert. Apolog. XLII (O. I 274) *non in publico Liberalibus discumbo.*

[2]) Cic. ad Att. VI 1, 12 *Quinto togam puram Liberalibus cogitabam dare.* Ovid. Fast. III 771 sqq.

[3]) Cfr Schnegelsberg, ib. p. 2. — Liberalibus, quae hoc loco sunt nominata, cum Dionysiis Atticis adaequatis Meier (De gladiatura p. 4 sq.) Buechelerum secutus scribendum putat: nam et cum primi scaenae ludi Liberalia uocarentur. — Liberalia illa Werber (Progr. des Gymn. in Teschen 1896 p. 12) falso rettulit ad ludos Romanos. [4]) Wissowa R. u. K. p. 244.

[5]) Cfr Wissowa R. u. K. 162 sq. [6]) De spect. V (I 7, 23). [7]) Preller-Jordan, Röm. Myth. II 44 n. 2. [8]) Wissowa, R. u. K. p. 18.

[9]) Serv. ad Georg. I 151 *Robigo autem genus est vitii, quo culmi pereunt.*

[10]) Varro De l. l. VI 16 *Robigalia dicta ab Robigo; secundum segetes huic deo sacrificatur, ne robigo occupet segetes.* Id. R. r. I 1, 6 *Quarto Robigum ac Floram, quibus propitiis neque robigo frumenta atque arbores corrumpit, neque non tempestive florent. Itaque publice Robigo feriae Robigalia, Florae ludi Floralia instituti.*

immolaret[1]). Et sacris rite factis ludi sunt dati, in quibus maiores minoresque cursu inter se certabant[2]). Robigalium auctoritas per totam antiquitatem valuit nec prius cecidit, quam in eorum locum litania maior, quam celebrabat ecclesia Romana, successit[3]).

Quod viri docti[4]), praesertim cum flaminem Quirinalem traditum sit Robigalibus sacra curasse, verba supra allata ita accipienda esse colligunt, quasi Tertullianus dicat ferias easdem Marti rustico, qui dicitur, et Robigini communiter esse institutas, nullam invenio causam cur ad hanc sententiam accedam. Namque, ut praetermittam, quod flamen Quirinalis non sui dei solius sacra procurabat, sed numero deorum crescente aliis quoque numinibus officia praestabat[5]), qua tandem ratione dei, quibus res longe diversae, alteri bellum[6]), alteri frumenta curae

---

[1]) Paulus p. 267 Muell. *Robigalia dies festus VII Kal. Maias, quo Robigo deo suo, quem putabant robiginem avertere, sacrificabant.* Plin. N. h. XVIII 285 *Robigalia Numa constituit anno regni sui XI, quae nunc aguntur a. d. VII kal. Mai., quoniam tunc fere segetes robigo occupat.* Ovid. Fast. IV 905 sqq. *hac mihi Nomento Romam cum luce redirem, obstitit in media candida turba via. flamen in antiquae lucum Robiginis ibat, exta canis flammis, exta daturus ovis.* Ib. 903 sqq. Columella X 342 sq. *Hinc mala Robigo virides ne torreat herbas Sanguine lactentis catuli placatur et extis.* Fast. Praen. ad Apr. 25 (CIL I² 236) *Feriae Robigo via Claudia ad milliarium V, ne robigo frumentis noceat. Sacrificium et ludi cursoribus maioribus minoribusque fiunt.* — De via Claudia cfr Mommsen CIL I² p. 316. Usener, Religionsgesch. Untersuch. I² 307 sq.

[2]) Fast. Praen. ad Apr. 25. Mommsen ad Apr. 25 CIL I² 317.

[3]) Mommsen ib.: *Ex Robigalibus his . . . nata est laetania maior quae dicitur celebrata ab ecclesia Romana eodem die iam sacro Marco apostolo similique eorundem locorum perambulatione.* Usener, ib. Wissowa R. u. K. p. 90.

[4]) Mommsen ib. p. 316. Preller-Jordan, Röm. Myth. I p. 341, 371. Roscher, Lexikon II 2403.

[5]) Wissowa R. u. K. 140 et 444 n. 5. Roscher ib. 2416.

[6]) Wissowa ib. p. 130: Soweit die Ueberlieferung uns ein Urteil gestattet, ist Mars den Römern nie etwas anderes gewesen als Kriegsgott, und wenn man ihn um Schutz der Fluren anfleht, so geschieht das nicht, damit er das Wachstum der Saaten fördere, sondern damit er Kriegsnot und Verwüstung von den Feldern fernhalte.

erant, eodem cultu coniungi potuerunt? Neque id verbum, quod scriptor ex superiore enuntiato subaudiri vult, eam habet vim, quae ad utrumque deum promiscue pertineat necesse sit. Ludos enim, non easdem ferias aut Robigalia addenda esse vix opus est dicere. Diversos igitur ludos, quorum alteri in Martis, alteri in Robiginis honorem essent instituti, Tertullianus videtur in animo habuisse. Sed quinam fuerint ludi, quos Numa consecraverit Marti, investigantes sententiam subsequentem, ubi haec sola traduntur: *dehinc Tullus Hostilius* (sc. ludos fecit), una deliberabimus. Namque apud veteres scriptores nulli, qui proprie dicuntur, ludi aut dies festi ab regibus illis instituti traduntur. Salii vero, quorum duo erant collegia, Palatini et Collini sive Agonales, alteri a Numa [1]), alteri a Tullo Hostilio [2]) creati feruntur. Quorum ad arma, saltationes, perambulationes, carmina, ad omnes denique caerimonias conspicuas, quae diebus Marti sacris videbantur atque posteriore aetate magis voluptatis conciliandae quam religionis sustinendae causa habebantur, si animum intendimus neque saltationem Saliorum praetermittimus apud Servium proprie appellatum esse ludum [3]), nulla datur causa dubitandi, quin in eo unde hauserit Tertullianus fonte eodem tenore quo Lupercalia, Liberalia, Consualia, Ecurria, Robigalia inter ludos vetustos nominatae sint feriae Martis, quas celebrantes Salii in publicum prodibant [4]).

---

[1]) Dion. Hal. AR II 70, 1 (*Τοὺς σαλίους*) *αὐτὸς ὁ Νόμας ἀπέδειξεν ἐκ τῶν πατρικίων, δώδεκα τοὺς εὐπρεπεστάτους ἐπιλεξάμενος νέους, ὧν ἐν Παλατίῳ κεῖται τὰ ἱερὰ καὶ αὐτοὶ καλοῦνται Παλατῖνοι.* — Plut. Num. 13. Paul. p. 131. Liv. I 20, 4. Aur. Vict. De v. ill. III 1. Suidas *Νοῦμας* p. 1009, 20. Diomed. p. 476 Keil. Cic. De rep. II 14, 26. Ovid. Fast. III 387 sqq. Lydus De mens. IV 2.

[2]) Dion. Hal. AR II 70, 1 *οἱ μὲν γὰρ Ἀγωναλεῖς, ὑπὸ δέ τινων Κολλῖνοι καλούμενοι σάλιοι, ὧν τὸ ἱεροφυλάκιόν ἐστιν ἐπὶ τοῦ Κολλίνου λόφου, μετὰ Νόμαν ἀπεδείχθησαν ὑπὸ βασιλέως Ὁστιλίου κατ' εὐχήν, ἣν ἐν τῷ πρὸς Σαβίνους εὔξατο πολέμῳ.* Dio Cass. fr. VII 5. Liv. I 27, 7. Quamquam Salios Agonales quoque a Numa institutos esse dicit Serv. ad Aen. VIII 285.

[3]) Ad Aen. VIII 285 *alii dicunt Salium quendam Arcadem fuisse, qui Troianis iunctus hunc ludum in sacris instituerit.*

[4]) Ritus Saliorum describuntur a Dion. Hal. II 70 et a Plut. Num. 13.

Item praetereundo Tertullianus, cum Tullum Hostilium nominasset, adiunxit: *dehinc Ancus Martius.* Quamquam omnes scriptores, qui facta eius memoriae prodiderunt, rebus divinis sustinendis ordinandisque eum operam dedisse consentiunt, nemo tamen aut ferias aut ludos novos ab eo institutos commemorat [1]. Sed ab Anco Martio cum ius fetiale tradatur constitutum [2], haud scio an scriptor, quo nititur Tertullianus, caerimonias [3] fetialium, praesertim si per urbem incedentes motus saltationi similes habebant, in ludorum numero reposuerit earumque originem Numae nepoti tribuerit.

Iam vero de feriis, quae Latinae [4] appellantur, pauca dicamus. Quas ab Tertulliano ad ludos esse relatas [5] minime miramur, si haec Plinii (N. h. XXVII 45) verba reminiscimur: *Latinarum feriis quadrigae certant in Capitolio victorque absinthium bibit* [6]. Quod vero Tertullianus Latiares inter posterioris aetatis

---

Cfr Marquardt Röm. Staatsverw. III² 427 sqq. Wissowa R. u. K. p. 480 sqq. Preller-Jordan, Röm. Myth. I 358 sq.

[1]) Cfr Schwegler, Röm. Gesch. I 598 sqq. Dion. Hal. AR III 36—45.

[2]) Liv. I 32, 5 *ius ab antiqua gente Aequiculis, quod nunc fetiales habent, descripsit, quo res repetuntur.* Serv. ad Verg. Aen. X 14. Aur. Vict. De vir. ill. V 4. — Cicero (De rep. II 17, 31; cfr Liv. I 24.) ius fetiale a Tullo Hostilio, Dionys. Hal. (II 72), Plut. (Num. XII) a Numa constitutum dicunt. Cfr Schwegler, ib. I p. 545 n. 1. 555. 603.

[3]) Cfr Marquardt Röm. Staatsverw. III² 419 sqq. Preller-Jordan, Röm. Myth. I 245 sqq.

[4]) Cfr Marquardt, Röm. Staatsverw. III² p. 296 sqq. Wissowa R. u. K. p. 109 sq. Aust in Roscheri Lexico p. II 687 sqq. Chr. Werner, De feriis latinis (Diss. Lips. 1888). Latiares nominat ferias illas Tertullianus. Latiar vero, unde Latiaris deducitur, proprie dicebatur de sacrificio, quod feriis Latinis fiebat (Preller-Jordan, Röm. Myth. I 212).

[5]) De spect. VI (I, 8, 7).

[6]) Narrat praeterea Tertullianus apol. IX (O. I 145 sq.) Latinis feriis sanguinem bestiarii in Iovis honorem effusum esse. Quem morem Werner (De fer. lat. p. 35) vix recte putat ad venationes vel munera iisdem feriis data referendum esse. Si enim alios locos (cfr Oehler ib.), quibus de eodem more traditum est, cum illo comparamus, manifestum fit Tertullianum ibi de sacrificio humano cogitasse, quod sitne omnino factum Aust (ib. p. 688 sq.) optimo iure dubitat.

ludos, Megalenses, Apollinares, Cereales, Neptunales numeravit, ostendit eum errare Dionysius Halicarnasseus, qui ferias illas ab Tarquinio institutas esse tradit [1]). Feriae Latinae, quod erant conceptivae [2]), quotannis a consulibus sunt indictae. Libera iam re publica per IV dies sunt celebratae atque usque ad quintum nostri aevi saeculum continuatae [3]).

Priusquam ad ludos posterioris aetatis transeamus, animum advertamus ad ludos Capitolinos [4]), de quibus Tertullianus haec adfert [5]): *dehinc idem Romulus Ioui Feretrio ludos instituit in Tarpeio, quos Tarpeios dictos et Capitolinos Piso tradit.* Ludos Capitolinos [6]) Iovi Feretrio a Romulo consecratos esse non solum Tertullianus, sed etiam Ennius [7]) Plutarchusque [8]) tradunt, Livius vero a Camillo in honorem Iovis O. M. institutos esse dicit [9]). Feretrione Iovi an Capitolino fuerint consecrati, paucissimis litterarum testimoniis inter se discrepantibus haud facile discernas [10]). Die ludorum, qui erant idus Octobres, Ennius ait pelli-

---

[1]) AR IV 49. Werner (ib. p. 11) originem feriarum etiam longius retrahendam esse putat.

[2]) Varro De l. l. VI 25 *Similiter Latinae Feriae dies conceptivus dictus a Latinis populis.* Macrob. Sat. I 16, 5 sq.

[3]) Werner, ib. p. 62 sq.

[4]) Cfr Wissowa, R. u. K. 112. Aust in Roscheri Lex. II 738 sq. Preller-Jordan, R. Myth. I 227 sq.

[5]) De spect. V (I 7, 22).

[6]) De Tarpeio nomine cfr Jordan, Topogr. I 2, 6 sq.

[7]) Schol. Bern. ad Verg. Georg. II 384 *Romulus cum aedificasset templum Ioui Feretrio, pelles unctas strauit et sic ludos edidit, ut caestibus dimicarent et cursu contenderent, quam rem Ennius in annalibus testatur.*

[8]) Rom. XXV *Ἐθριάμβευσε δὲ καὶ ἀπὸ τούτων εἰδοῖς Ὀκτωβρίαις, ἄλλους τε πολλοὺς αἰχμαλώτους ἔχων καὶ τὸν ἡγεμόνα τῶν Οὐηΐων, ἄνδρα πρεσβύτην, ἀφρόνως δόξαντα καὶ παρ᾽ ἡλικίαν ἀπείρως τοῖς πράγμασι κεχρῆσθαι. Διὸ καὶ νῦν ἔτι θύοντες ἐπινίκια γέροντα μὲν ἄγουσι δι᾽ ἀγορᾶς εἰς Καπιτώλιον ἐν περιπορφύρῳ, βοῦλλαν αὐτῷ παιδικὴν ἅψαντες, κηρύττει δ᾽ ὁ κῆρυξ Σαρδιανοὺς ὠνίους. Τυρρηνοὶ γὰρ ἄποικοι Σαρδιανῶν λέγονται, Τυρρηνικὴ δὲ πόλις οἱ Οὐήϊοι.* Qu. Rom. LIII.

[9]) V 50, 4. 52, 11.

[10]) Wissowa l. l. ludos Capitolinos opinatur Iovi O. M., Austius (ib. p. 738) Iovi Feretrio consecratos esse.

bus oleo unctis certamina, et pugilatum et cursum, constituta esse [1]). Praeterea senex debilis, qui regis Etrusci partes agere ferebatur, inter ludos cum praeda ficta praeconi subici solebat [2]).

Quamdiu ludi Capitolini celebrati sint, pro certo non scimus. Cum vero in titulis Augusti aetate exaratis collegium nominetur Capitolinum [3]), cui ludi Capitolini procurandi erant traditi [4]), verisimile est ipsos ludos etiam tum datos esse.

Quoniam igitur omnes ludos in libro De spectaculis commemoratos, qui nihil aliud sunt, nisi pars rituum festorum, supra perlustravimus, veniamus nunc ad eos, qui, quamvis ex pietate orti, agendi tamen ratione ab illis abhorrentes non minus ad animos oblectandos quam ad deos colendos pertinent. Eos dico, quos Tertullianus exceptis Latiaribus supra tractatis c. VI (I 8, 3) enumeravit: *Accedit ad testimonium antiquitatis subsecuta posteritas formam originis de titulis huius quoque temporis praeferens, per quos signatum est, cui idolo et cui superstitioni utriusque generis ludi notarentur. Megalenses enim et Apollinares, item Cereales et Neptunales . . . et Florales in commune celebrantur.* Qui unde sint orti quibusque diebus et modis celebrati, breviter ostendam.

Inter ludos recentiores antiquissimi sunt ludi Apollinares [5]), quos Marcii vatis monitu libris Sibyllinis inspectis Apollini vovendos edendosque primum a. u. c. DXLII (212) senatus cen-

---

[1]) Loco supra (p. 27 n. 7) allato.

[2]) Festus p. 322 Mueller: „*Sardi venales alius alii nequior*“: *ex hoc natum proverbium videtur, quod ludis Capitolinis, qui fiunt a [vicanis] praetextatis, auctio [Veientium] fieri solet, in qua novissimus idemque deterrimus producitur a praecone senex cum toga [praetexta], bullaque aurea, quo cultu reges soliti sunt esse Etruscorum, qui Sardi appellantur, quia Etrusca gens orta est Sardibus ex Lydia.* Plut. Rom. 25. Qu. R. 53. De qua ludificandi ratione cfr Mommsen, Röm. Gesch. I [8] p. 330.

[3]) CIL I 805. XIV 2105. Cfr Cic. ad Qu. fr. II 5, 2.

[4]) Liv. V 52, 11 *Capitolinos ludos sollemnibus aliis addidimus collegiumque ad id novum auctore senatu condidimus.*

[5]) Cfr Wissowa R. u. K. p. 240. Marquardt, Staatsverw. III [2] 384 sq. Friedlaender apud eundem p. 500 sq. Furtwaengler in Roscheri Lexico I 447 sq.

suit [1]). Inde per tres deinceps annos voti diebusque non isdem sunt dati [2]), donec pestilentia urgente a. u. c. DXLVI (208) senatus consulto stati sunt facti [3]). Diei ludorum uni, qui ex eodem senatus consulto erat III id. Iulias, cum paulatim adicerentur singuli, numerus eorum iam libera re publica ad octonos creverat, qui in fastis inter pridie non. Iul. et III id. Iul. signati inveniuntur [4]). Neque IV:o saeculo, quod ex fastis Philocalianis elucet, numerus dierum festorum imminutus videtur esse [5]). Spectacula principalia erant scaenica [6]), quae ludis circensibus ultimo

[1]) Liv. XXV 12, 8 sqq. *tum alterum carmen* (Marcii vatis) *recitatum . . . „hostis, Romani, si expellere vultis . . ., Apollini vovendos censeo ludos, qui quotannis comiter Apollini fiant . . . Decemviri Graeco ritu hostiis sacra faciant . . .“ Ad id carmen explanandum diem unum sumpserunt. Postero die senatus consultum factum est, ut decemviri de ludis Apollini reque divina facienda inspicerent. ea cum inspecta relataque ad senatum essent, censuerunt patres Apollini ludos vovendos faciendosque . . . haec est origo ludorum Apollinarium victoriae, non valetudinis ergo, ut plerique rentur, votorum factorumque.* Macr. sat. I 17, 25. 27. — Sed id, quod teste Livio plerique, vel teste Macrobio quidam annalium scriptores ludos Apollinares contendunt valetudinis ergo institutos esse, adfirmatur ab Tertulliano, qui Apollinaribus ritus lustrationi proprios observatos esse ostendit De bapt. V (I 205, 1): *ceterum uillas, domos, templa totasque urbes aspergine circumlatae aquae expiant passim certe ludis Apollinaribus et Eleusiniis tinguuntur idque se in regenerationem et impunitatem periuriorum suorum agere praesumunt.* Cfr Wissowa R. u. K. p. 240. 327.

[2]) Liv. XXVII 23, 5 *ludi Apollinares Q. Fulvio Ap. Claudio consulibus a P. Cornelio Sulla praetore urb. primum facti erant; inde omnes deinceps praetores urbani fecerant; sed in unum annum vovebant, dieque incerta faciebant.* Id. XXVI 23, 3. XXVII 11, 6.

[3]) Id. XXVII 23, 6 *eo anno pestilentia gravis incidit in urbem agrosque . . . eius pestilentiae causa . . . P. Licinius Varus praetor urb. legem ferre ad populum iussus, ut ii ludi in perpetuum in statam diem voverentur. ipse primus ita vovit, fecitque ante diem tertium nonas Quintiles. is dies deinde sollemnis servatus.* Diem apud Livium falso scriptum docet Marquardt (Staatsverw. III [2] p. 385 n. 5). — Memoria institutorum ludorum Apollinarium per nummos quoque apud Mommsen (Röm. Münzwesen) numeris 209 (p. 580) et 264 (p. 624) assignatos servata est.

[4]) CIL I [2] p. 321. [5]) Ibid.

[6]) Festus p. 326 Mueller: *„Salva res est, dum cantat senex“, quare parasiti Apollinis in scaena dictitent, causam Verrius in l. V., quorum prima*

die datis finiebantur [1]). Praeterea venationes Apollinaribus factae memorantur [2]).

Ludi Ceriales [3]) quando coepti sint celebrari, etsi pro certo non scimus [4]), anno tamen u. c. DLII (202) inter ludos annuos nominantur [5]). Cereri quidem et Libero Liberaeque, qui eandem aedem, eosdem sacerdotes habebant, erant consecrati [6]). Inde ab

---

est P. littera, reddidit. quod [P.] Sulpicio, [Cn.] Fulvio Cos., M. Calpurnio Pisone Pr. Urb. faciente ludos, subito ad arma exierint, [nuntiato adventu] hostium, victoresque in theatrum redierint solliciti, ne intermissi religionem adferrent, [instaurandique] essent: inventum esse ibi C. [Pomponium], libertinum mimum magno natu, qui ad tibicinem saltaret. itaque gaudio non interruptae religionis editam vocem nunc quoque celebrari. at in hoc libro refert Sinni Capitonis verba, quibus eos ludos Apollinares Claudio, et Fulvio cos. factos dicit ex libris Sibyllinis, et vaticinio [Marcii] vatis institutos, nec nominatur ullus Pomponius. Quibus Festi verbis adhibitis Ritschl (Parerga, praef. XXIII) haec adicit: E quibus evidentissime apparet iam a. 542, vel si Capitonem sequimur, adeo a. 541 h. e. ipso primum institutorum Apollinarium ludorum anno fabulas in scena actas esse. — Varro De l. l. VI 19 *Cur hoc, togata praetexta data eis Apollinaribus ludis docuit populum.* — De fabulis Apollinaribus datis cfr Marquardt, Staatsverw. III ² p. 385 n. 7.

[1]) CIL I ² p. 321.

[2]) Cic. ad Att. XVI 4, 1 *Quam ille* (Brutus) *doluit de Nonis Iuliis! mirifice est conturbatus: itaque sese scripturum aiebat, ut venationem eam, quae postridie ludos Apollinares futura est, proscriberent* (*in*) *III Idus Quintiles.* Plin. N. h. VIII 53 *Leonum simul plurium pugnam Romae princeps dedit Scaevola P. filius in curuli aedilitate, centum autem iubatorum primus omnium L. Sulla . , . in praetura.* Sen. de brev. vit. XIII 6. Dio Cass. XLVIII 33, 4 *ἔν τε τῷ πρὸ τούτου ἔτει θηρία τε ἐν τῇ τῶν Ἀπολλωνίων ἱπποδρομίᾳ ἄνδρες ἐς τὴν ἱππάδα τελοῦντες κατέβαλον.*

[3]) Cfr Wissowa R. u. K. p. 246. Marquardt, Staatsverw. III ² 362 sq. 500. Birt in lexico Roscheri 1 865. Wissowa apud Pauly-Wissowa R-E III 1980 sq. Preller-Jordan, Röm. M. II 40 sqq.

[4]) Nomen eius, qui primus ludos Ceriales dedit, notum quidem est, annus, quo primum sunt dati, ignotus. Mommsen, Gesch. d. Röm. Münzw. p. 642 nr. 291 b: *Memmius aed. Cerialia preimus fecit.* Id. ib. (n. 528) Ceriales non multo ante annum a. u. c. 552 institutos esse putat. Cfr id. CIL I ² 315; Röm. Gesch. I ⁸ 812.

[5]) Liv. XXX 39, 8 *Cerialia ludos dictator et magister equitum ex senatus consulto fecerunt.*

[6]) Cic. Verr. V 36 *Nunc sum designatus aedilis; mihi ludos sanctissi-*

aevo Augusti ludis Cerialibus celebrandis omnes, qui inter pridie id. Apriles et a. d. XIII kal. Maias intercedebant, dies erant tributi [1]). Atque etiam quarto p. Chr. n. saeculo totidem erant dies ludorum [2]). Extremo Cerialium die, iam antiquitus Cereri sacro, circenses sunt dati [3]). Ludos scaenicos imperatorum quidem aetate datos Tacitus [4]) et Iuvenalis [5]) testantur.

Ludi Megalenses [6]) cum cultu Matris deum Magnae Idaeae, cui erant consecrati, initium ceperunt [7]). Atque, si non prius, at tamen anno u. c. DLXIII (191), quo templum Matris Magnae in Palatio dedicatum est [8]), Megalenses inter ludos statos sunt recepti. Dies dedicationis, qui erat IV id. April. [9]), ludis scaenicis celebratus est [10]). Megalensibus posterioris quoque aetatis fabulae

---

mos maxima cum cura et caerimonia Cereri Libero Liberaeque faciundos. Wissowa R. u. K. p. 244 sq.

[1]) CIL I [2] p. 315.

[2]) Cfr ib. fast. Phil.

[3]) CIL I [2] p. 315.

[4]) Hist. II 55: *At Romae nihil trepidationis; Cereales ludi ex more spectabantur. Ut cecidisse Othonem et a Flavio Sabino praefecto urbis, quod erat in urbe militum, sacramento Vitelli adactum certi auctores in theatrum adtulerunt, Vitellio plausere.*

[5]) XIV 262 sq. *ergo omnia Florae et Cereris licet et Cybeles aulaea relinquas.*

[6]) Cfr Wissowa R. u. K. p. 263 sq. 387. Marquardt, Staatsverw. III [2] p. 367 sq. 501. Rapp in Roscheri lexico II p. 1666 sq. Preller-Jordan, R. Myth. II 56 sq. 60.

[7]) Liv. XXIX 14, 13 *eae ... in aedem Victoriae, quae est in Palatio, pertulere deam pr. non.* (Weissenborn; cfr Marquardt, Staatsverw. III [2] p. 367 n. 10) *Apr.; isque dies festus fuit. populus frequens dona deae tulit, lectisterniumque et ludi fuere, Megalesia appellata.* Decem post annis ludos scaenicos primum datos esse narrant id. XXXIV 54, 3 et Val. Max. II 4, 3.

[8]) XXXVI 36, 4 *locaverant aedem* (Matris Magnae Idaeae) *faciendam ex senatus consulto M. Livius C. Claudius censores M. Cornelio P. Sempronio consulibus; tredecim annis postquam locata erat, dedicavit eam M. Iunius Brutus, ludique ob dedicationem eius facti, quos primos scenicos fuisse Antias Valerius est auctor, Megalesia appellatos.*

[9]) Fast. Praen. ad April. 10. *M(atri) d(eum m(agnae) in Palatio, quod eo die aedis ei dedicata est.*

[10]) Livius ib.

editae saepe memorantur[1]). In fastis ludis Megalensibus sunt destinati dies septeni[2]), quorum primus (pridie non. Apr.) a sacrificio orsus[3]) ultimusque (id. Apr.) circensibus celebratus[4]) in dies incidunt, qui cum cultu deae inde ab eius initiis conexi sunt. Megalensibus patricii, sicuti Cerialibus plebei, mutua inter se curabant convivia, quae mutitationes sunt appellatae[5]).

Ludi Florales[6]) quibus Romani Floram deam vetustissimam[7]) novo ritu, graeco[8]) scilicet, venerabantur, monitu Sibyllae anno u. c. DXVI (238) sunt instituti[9]) et inde ab anno u. c. DLXXXI (173) quotannis celebrati[10]). Dies festi, quorum numerus paulatim auctus Caesarum aetate ad senos creverat, IV kal. Mai. sacris factis initiati sunt et ludis scaenicis celebrati omnes praeter ultimum (V non. Mai.), quo circenses sunt dati ipsique ludi sacrificio oblato peracti[11]). Atque in theatro Floralibus inprimis

---

[1]) Cfr Marquardt, Staatsverw. III² p. 501 n. 7.

[2]) CLI I² p. 314.

[3]) Dion. Hal. AR II 19, 4 *θυσίας μὲν γὰρ αὐτῇ* (*τῇ Ἰδαίᾳ θεᾷ*) *καὶ ἀγῶνας ἄγουσιν ἀνὰ πᾶν ἔτος οἱ στρατηγοί.* Wissowa R. u. K. p. 264. CIL I² p. 317, Apr. 28.

[4]) CIL I² p. 314.

[5]) Fast. Praen. ad Apr. 4 *Nobilium mutitationes cenarum solitae sunt trequenter fieri, quod Mater Magna ex libris Sibyllinis arcessita locum mutavit ex Phrygia Romam.* Gell. N. A. XVIII 2, 11 *Postea quaestio istaec fuit, quam ob causam patricii Megalensibus mutitare soliti sint, plebes Cerealibus.* Ovid. Fast. IV 353 sqq. Plaut. Men. I 1 100 sqq.

[6]) Cfr Wissowa apud Pauly-Wissowa R-E VI 2749 sqq. Id. R. u. K. p. 163 sq. et 387. Preller-Jordan, R. Myth. I 431 sqq. Steuding in Roscheri Lexico I 1483 sqq.

[7]) Wissowa, R. u. K. 164.

[8]) Id. ib. 163.

[9]) Plin. N. h. XVIII 286 *Itaque idem Floralia IIII kal. easdem instituerunt urbis anno DXVI ex oraculis Sibyllae, ut omnia bene deflorescerent.* Vell. I 14, 8.

[10]) Ovid. Fast. V 327 sqq. '*Convenere patres et, si bene floreat annus, numinibus nostris annua festa vovent. adnuimus voto. consul cum consule ludos Postumio Laenas persoluere mihi*'.

[11]) CIL I² p. 317. Iuven. VI 249.

mimi dabantur [1]), in circo animalia agitabantur sive ad artes ludicras ostentandas producebantur [2]).

Ludi Neptunales ad ferias veteres, quae Neptuno patri, deo Italorum, consecratae a. d. XX kal. Aug. celebrabantur, amplificandas posteriore demum aetate instituti videntur [3]). Qui ludi etsi usque ad ultima imperii Romani tempora manebant [4]) atque quarto saeculo duobus deinceps diebus dabantur [5]), quia a scriptoribus veteribus neque saepe nominantur neque ab ullo fusius describuntur, qua ratione celebrati sint nescimus. Circenses tamen cum constet his ludis non esse datos [6]), fieri potuit ut navigia [7]), id quod Preller [8]) et Mommsenius [9]) coniecerunt, Ostiae vel in urbis naumachiis certarent.

Iam vero ad eos ludos, quibus dei colebantur, exeunte libera re publica atque principum aetate accesserunt novi, quibus memoria rerum universae civitati prosperarum vel dierum impe-

---

[1]) Grysar, Abh. der Wiener Akademie, B. XII p. 276: Seit der Zeit nun, dass an den Floralien auch Bühnenspiele gegeben wurden, sind es Mimen gewesen. Dass je Tragödien oder Komödien an diesem Feste aufgeführt worden, wird nirgendwo berichtet. — Reich, der Mimus I 53. 172.

[2]) Ovid. Fast. V 371 sq. '*Cur tibi pro Libycis clauduntur rete leaenis imbelles capreae sollicitusque lepus?*' Martial VIII 67, 1 sqq. Suet. Galba VI *Honoribus ante legitimum tempus initis praetor commissione ludorum Floralium novum spectaculi genus elephantos edidit.*

[3]) Wissowa in Roscheri lexico III p. 205. Id. R. u. K. p. 250 sqq.

[4]) Id. R. u. K. p. 253 n. 6.

[5]) Fast. Philoc. ad Iul. 22: *ludi,* 23: *Neptunalici* (CIL I² 268).

[6]) Mommsen CIL I² p. 323.

[7]) Auson. De fer. 19 sqq. *Aut duplicem cultum, quem Neptunalia dicunt, Et quem de Conso consiliisque uocant? Festa haec, nauigiis aut quae celebrata quadrigis, Iungunt Romanos finitimosque duces.*

[8]) Röm. Myth. II³ 124: Neptunalia wurden am 23. Juli gefeiert mit eignen Spielen, entweder am Tiber oder in Ostia an der See und im Freien, denn es werden Laubhütten (umbrae) erwähnt, durch welche man sich in der heissen Jahreszeit vor der Sonne zu schützen suchte.

[9]) Mommsen, CIL I² p. 323: Putarim iis diebus navigia certavisse (Auson. de fer. 19 seq.), cum praesertim fuisse in urbe naumachias complures ex Curioso constet.

ratoribus proprie insignium celebrabatur [1]). Eiusmodi erant ludi Victoriae Sullanae [2]), ludi Victoriae Caesaris [3]), ludi divi Augusti et Fortunae Reducis [4]) omnesque, qui ad victorias ab hostibus reportatas pertinebant [5]). Praeterea et natales imperatorum non solum eorum, qui regno praeerant, sed etiam eorum, qui in divos erant relati [6]), et sollemnia imperii ab iis suscepti [7]), qui regnabant, et dies, qui laetam quandam domui Caesarum civitatique memoriam servabant [8]), celebrari solebant ludis. Ad eos ludos Tertullianus [9]) spectat: *reliqui ludorum de natalibus et sollemnibus regum et publicis prosperitatibus . . . superstitionis causas habent.* Sed eodem loco modo allato Tertullianus cum dicit de „*municipalibus festis*“ [10]) superstitionis causas habere ludos, quos in animo habuerit, reputantibus inprimis ludi, qui singulis in municipiis suis quique diebus festis dari solebant, in mentem revocantur.

---

[1]) Wissowa R. u. K. 388 sqq.

[2]) Vell. Paterc. II 27, 6 ludos illos ob victoriam ab Samnitibus reportatam institutos esse narrat. Cfr CIL I² p. 333.

[3]) Quos Cass. Dio XLIII 22 ab ipso Caesare institutos, Suet. Aug. 10 ab Augusto editos esse tradunt. Cfr CIL I² 322 sq.

[4]) Ludi, qui sub nomine divi Augusti et Fortunae Reducis in hemerologiis Amiternino et Antiatino occurrunt, Augustalesque ab scriptoribus nominantur, anno a. Chr. DCCXLIII (11) celebrari coeperunt (Cass. Dio LIV 34). Qui soli tribus ex ludis hoc loco allatis ad Tertulliani tempora pervenerunt. CIL I² p. 331 et 332.

[5]) Ludos ad victorias spectantes stabiles non fuisse et ex uniuscuiusque imperatoris voluntate factos ex fastis anni CCCLIV elucet, unde memoriam rerum non aliarum nisi ab ipso Constantio II, qui tum imperio praeerat, eiusque patre gestarum ludis revocatam esse patet. Cfr Wissowa R. u. K. 390 et 391 n. 4. [6]) CIL² 302. Wissowa ib. 390. [7]) Id. ib. CIL I² 303.

[8]) Exempla ex fastis Philocalianis collegit Wissowa ib. 391 n. 3.

[9]) De spect. VI (I 8, 8).

[10]) Easdem causas cogitavit Tert. De cor. XIII (O. I 450) *coronatur et vulgus nunc ex principalium prosperitatum exultatione, nunc ex municipalium sollemnitatum proprietate.* Ad nat. I 10 (I 77, 20) *regibus . . . adscripta sunt . . . laetitiae et ludi.* Sed vocabulo *municipali* ne vim subicias primariam et loquendi consuetudo, quae altero p. Chr. valuit saeculo, et eiusdem verbi apud ipsum scriptorem usus obstat. Dig. 50, 1, 1 *nunc abusive municipes dicimus suae cuiusque civitatis cives.* Tert. De cor. XIII (O. I 451) *noster . .*

Inter ludos, qui in municipiis coloniisque dabantur, etsi multi easdem ob causas atque Romae fiebant [1]), plurimi tamen ad religionem patriam vel ad alias res singulis locis proprias erant relati. In colonia Genetiva Iulia ludi cum Iovi Iunoni Minervae tum Veneri, genetrici gentis Iuliae, ut ederentur legibus erat sancitum [2]). Apud Paelignos venatio et ludi sollemnes deae Pelinae erant dati [3]), Antiochiae in Pisidia, ubi Men deus [4]) et Hecate [5]) proprie colebantur, Lunae diebus festis ad certamen gymnicum quotannis faciendum pecunia a C. Albucio quodam per testamentum destinatur [6]). Carthagine Nova Genio oppidi viri quidam ludos faciendos curaverunt [7]). Item aliis in municipiis veri-

---

municipatus in caelis. Id. Ad nat. II 1 (I 94, 26) *municipalis adoptatio.* Cfr W. Liebenam, Städteverw. p. 459. 461.

[1]) Urbi Romae et municipiis coloniisque communes erant ludi, qui in honorem *imperatorum* vel pro salute eorum dabantur (CIL II 1305, X 4760; de VIII 7969 cfr O. Toller, De spect., cen., distribut. in munic. Rom. Diss. 1889 p. 31 n. 7). *Apollinares* aut Pompeis aut in ea vicinia (ib. X 1074 d), *Florales* Cirtae (ib. VIII 6958), Albae (ib. IX 3947), Pisauri (ib. XI 6537), loco ignoto (Or.-Henzen, Inscr. lat. 2545. His tamquam illis Cirtensibus et Albensibus ludis Floralibus Toller ib. p. 43 sq. ludos mimicos designari putat), celebrati esse traduntur. In Iudaeorum praescriptis, quae Aboda zara nominantur, ostendit H. Blaufuss (Röm. Feste u. Feiertage, Beil. z. Jahresb. des Königl. Neuen Gymn. in Nürnberg 1909) non solum de natalibus imperii (p. 13 sq.) et imperatorum (p. 15 sqq.), sed etiam de Apollinaribus (32 sqq.) in orientis civitatibus celebratis mentionem factam esse.

[2]) Lex Ursonensis LXXI sq. (Dessau, Inscr. lat. sel. II 1 p. 504. CIL II 5439.)

[3]) Dessau, ib. 5056 (CIL IX 3314) *L. Vibius Severus . . . ob honorem aedilitatis L. Vibi Ru[ti]li fili sui eq. R. at deam Pelinam primus huic loco venationem edidit, deinceps ludos sol[l]emnes.*

[4]) Cfr Drexler in Roscheri lex. II 2721 sq.

[5]) Cfr Steuding ib. I 1886 et 1897, 5.

[6]) Dessau, ib. II 1, 5070 *C. Albucio C. f. Ser. Firmo aed., II vir., qui pecuniam destinavit per testamentum at certamen gymnicum quod annis [f]aciendum diebus festis Lunae. D. d.*

[7]) CIL II 3408 *L. Baebius M. f., L. Cati(u)s M. f., L. Taurius L. f., Ser. Aefolan(us) L. f. Genio opidi* (sic!) *columnam pompam ludosq[ue]* (*faciunda* Huebn.) *coiraverunt.* Puteolis non modo Claudio Caesari, Agrippinae, I. O. M., sed etiam *Genio coloniae* ludi facti X 1574. De urbis Romae Genio,

simile est ludos numinibus utique tutelaribus ceterisque, qui praecipue colebantur, datos [1]) esse. Neque sollemnes statuarum [2]), signorum [3]), templorum [4]) aliorumque aedificiorum [5]) dedicationes, quae plerumque cum ludis erant coniunctae, hoc loco sunt omittendae. Frequentissimi vero inter ludos municipales nobis occurrunt corpus inscriptionum volventibus ii, qui ob sacerdotii vel muneris alicuius honorem [6]) editi erant.

Postreno de ludis funebribus haec agit Tertullianus [7]) *inter quos* (ludos) *etiam priuatorum memoriis legatariae editiones parentant, id quoque secundum institutionis antiquitatem.* Quos unde et qua ratione exortos censeat, ipse alio loco [8]) indicat: *officium autem mortuis hoc spectaculo* (munere) *facere se ueteres arbitrabantur, posteaquam illud humaniore atrocitate temperauerunt. nam olim, quoniam animas defunctorum humano sanguine propitiari creditum erat, captiuos uel mali status seruos mercati in exequiis immolabant. postea placuit impietatem uoluptate adumbrare. itaque quos parauerant, armis quibus tunc et qualiter poterant eruditos, tantum ut occidi discerent, mox edicto die inferiarum apud tumulos erogabant. ita mortem homicidiis consolabantur.* Sacrificia humana manibus expiandis num quando apud Romanos facta sint, in incerto relinquimus [9]). Verum munera gladiatoria, quo-

---

quocum comparandus est Genius coloniae, eiusque cultu cfr Wissowa R. u. K. p. 157. Genium coloniae Tertullianus iuxta ceteros deos posuit De idolol. XXII (I 55, 24 sqq.). Cfr Toller, ib. p. 23 nr. 410. 411.

[1]) Cfr CIL X 1574.

[2]) Ib. II 1360. VIII 858, 895, 967, 1353, 6944, 6947, 6948, 6994, 7960, 8438. [3]) Ib. VIII 958, 6046. [4]) Ib. VIII 100, 1574.

[5]) *Tribunalis, theatri, proscaenii* ib. IX 3857, *pontis* II 3221, *horologii* II 1685, *porticus refectae* II 1956, *thermarum* IX 1665. Cfr Toller ib. p. 6. 14 sqq.

[6]) Ex. gr. ob honorem *aedilitatis* ib. VIII 7990. IX 3314. X 688; *decurionatus* IX 2350; *duumviratus* X 6012; *quinquennalitatis* IX 3437. X 688. XIV 3663; *triumviratus* VIII 6995; *flamonii* VIII 1888; *sacerdotii* II 1471; *seviratus* II 2100. Cfr Toller ib. p. 8 sqq.

[7]) De spect. VI (I 8, 10). [8]) Ib. XII (I 14, 11).

[9]) De hac re luculenter disseruit Wissowa in Ges. Abhdl. p. 211 sqq. Cfr id. in R-E II 697 sqq. sub voce *Argei* et in enchiridio R. u. K. 31. 354 sq. 397.

niam primum apud Romanos data erant pro ludis funebribus [1]) posteaque saepius cum isdem ludis erant coniuncta [2]), sollemne quoddam, quo defunctorum memoria honoraretur, non solum apud Etruscos, sed inde translata etiam apud Romanos videntur fuisse. Luxuria deinde crescente et ambitione venationes [3]), ludi scaenici [4]), naumachiae [5]), epula [6]), viscerationes [7]), distributiones frumenti et olei, gratuitae in balneis lavationes [8]) muneribus adiecta sunt ludique aliquando per quadriduum continuati [9]). Ultro quamquam ludi funebres plerumque sunt dati ab superstitibus, quippe quorum ad gratiam augendam ut fierent magnopere interesset, saepe tamen, cum editionem munerum legatariorum necesse esset legibus constitui [10]), homines qui quod relinquerent habebant, ut ludis non in exsequiis solum, sed etiam postea editis memoria sui celebraretur, testamento videntur cavisse [11]).

---

[1]) Val. Max. II 4, 7 *Gladiatorium munus primum Romae datum est in foro boario App. Claudio, Q. Fuluio consulibus. dederunt Marcus et Decimus filii Bruti Perae funebri memoria patris cineres honorando.* Liv. epit. 16.

[2]) De muneribus in defunctorum honorem datis cfr Friedl. apud Marqu. Staatsverw. III [2] p. 554 n. 5.

[3]) Tert. De spect. XII (1 14, 20) *sed paulatim prouecti ad tantam gratiam, ad quantam et crudelitatem, quia feriarum uoluptati satis non fiebat nisi et feris humana corpora dissiparentur.* Plin. N. h. XXXIII 53. Cass. Dio XLIII 22, 4.

[4]) Liv. XLI 28, 11. [5]) Plut. Caes. 55.

[6]) Liv. XXXIX 46, 2. XLI 28, 11. Cass. Dio XXXVII 51. Suet. Caes. 26. [7]) Liv. XXXIX 46, 2. XLI 28, 11. [8]) Cass. Dio XXXVII 51, 4.

[9]) Hor. sat. II 3. 84 sqq. Liv. XXXI 50, 4. XLI 28, 11.

[10]) Cic. in Vatin. XV 37 *cum mea lex dilucide vetet, biennio, quo quis petat petiturusve sit, gladiatores dare nisi ex testamento praestituta die, quae tanta in te sit amentia, ut in ipsa petitione gladiatores audeas dare?* Dig. XXXI 49 § 4 *Si testator dari quid iussisset, aut opus fieri, aut munus dari, pro portione sua eos praestare, quibus pars hereditatis adcresceret, aeque atque cetera legata, placet.*

[11]) Cic. pro Sulla XIX 54 *interpositi sunt gladiatores, quos testamento patris videmus deberi.* CIL XIV 3015 *L. Urvineio L. l. Philomuso, mag. conl. libert., publice sepulturae et statuae in foro locus datus est, quod is testamento suo lavationem populo gratis per triennium gladiatorumque paria X et Fortunae Primig. coronam auream p. i. dari. Idemque ludos . . . per dies V fieri iussit.* Ib. IX 5854 colonis Auximatibus munera gladiatoria annua ex le-

Restat ut, a quibus magistratibus vel sacerdotibus Tertullianus ludos dicit datos esse, eorum unicuique quinam ludi obvenerint quaque ratione perspiciamus. Duobus enim locis hanc rem attigit; quorum altero [1]) ad munera spectat sola: *ut et titulos considerem, licet transierit hoc genus editionis ab honoribus mortuorum ad honores uiuentium, quaesturas dico et magistratus et flaminia et sacerdotia, . . . necesse est quicquid dignitatis nomine administratur communicet etiam maculas eius, a qua habet causas:* altero [2]) omnes respicit ludos: *ut talia spectes, ut talibus exultes, quis tibi praetor aut consul aut quaestor aut sacerdos de sua liberalitate praestabit.* Sed ludi urbani cum aliis atque municipales obtigerint editoribus, seorsum utrique sunt tractandi.

Romae consules, ut ab iis ordiamur, ludis Romanis edendis primo providebant, posterius iis tantummodo praesidebant [3]), natales principum diesque publicis prosperitatibus insignes spectaculis celebrandos curabant [4]), omnes, qui extra ordinem voti erant, ludos publicos administrabant [5]). Ut prima aetate imperatoria, cum consulatum inierant, ludos extra ordinem fecerunt, sic altero saeculo exeunte, antequam inierant, designati munera dare coeperunt [6]). Reliquorum ludorum sollemnium cura, quae prius aedilibus erat imposita [7]), a. u. c. DCCXXXII (= 22) ab imperatore Augusto ad praetorum collegium delata est, qui quos quisque ederet ludos sorti committere solebant [8]). Quaestores autem, qui munerum edendorum officio ab imperatore Claudio a. p. Ch. n. XLVII erant onerati, VII annis post liberati, denuo ab

---

gato dari iubentur. Item spectaculum pugilum quotannis (Ib. II 4514), ludi quotannis natali testatoris (ib. II 3664), ludi (ib. VIII 1502), ludi annui circenses in honorem testatoris (ib. VIII 1502) ut fiant, testamento cavetur.

[1]) De Spect. XII (I 14, 26). [2]) Ib. XXX (I 29, 19).

[3]) Mommsen, Staats. II³ 136. [4]) Id. ib. II³ 137.

[5]) Id. ib. II³ 137. Marqu. Staatsverw. III² 486.

[6]) Id. ib. Kübler apud Pauly-Wissowa R-E IV 1126.

[7]) Mommsen, Staatsr. II³ 517—522. Marqu. Staatsverw. III² 486 sq. Kubitschek apud Pauly-Wissowa R-E I 456 sq.

[8]) Cass. Dio LIV 2 καὶ τοῖς μὲν στρατηγοῖς τὰς πανηγύρεις πάσας προσέταξεν. Mommsen, Staatsr. II³ 236 sqq.

Domitiano sunt obligati, ut magistratum ineuntes gladiatores darent. Domitiani igitur ab aetate decem illi, qui in fastos Philocalianos mensis Decembris recepti sunt, ludi gladiatorii dari sunt coepti [1]). Sacerdotes denique urbani ludos dabant, qui cum religione artissime cohaerebant. Consualia et equirria ad pontificum officia pertinebant [2]), Capitolinorum [3]) et Compitaliciorum [4]) et eorum, qui Quinquatribus dari solebant [5]), ludorum cura collegiis propriis erat mandata, circenses quotannis a collegio fratrum Arvalium [6]), ludi saeculares a quindecimviris [7]) edebantur.

In municipiis coloniisque ludi publici, quippe qui propriis cuiusque civitatis legibus essent constituti [8]), non est dubium quin numero dierum et causa edendi non solum ab urbanis abhorruerint, sed etiam inter se multum discrepuerint; verum a quibus sint dati si quaerimus, eadem fere dignitatum et honorum nomina, ubicumque de editoribus fit mentio, reperimus. In colonia Iulia Genetiva duoviri munus ludosve facere scaenicos lege iubentur [9]): *IIviri quicu[m]que erunt ei (delet* Huebn.) *praeter eos, qui primi post h(anc) l(egem) [fa]cti erunt, ei in suo mag(istratu) munus ludosve scaenicos Iovi Iunoni Minervae deis deabusq(ue) quadriduom m(aiore) p(arte) diei, quot eius fieri [poter]it, arbitratu decurionum faciunto.* Eadem lege obstringuntur aediles [10]): *Aediles quicumq(ue) erunt in suo mag(istratu) munus ludos scaenicos Iovi*

---

[1]) Id. ib. II³ 534 sq. Marqu. Staatsverw. III² 487.

[2]) Mommsen ib. II³ 134 et n. 1. Wissowa R. u. K. 340. Marqu. ib. III² 485. Cfr. quae supra p. 18 de sacris Consualibus factis rettulimus.

[3]) Wissowa ib. Marqu. ib. III² 135. Cfr supra p. 28 n. 3.

[4]) Wissowa R. u. K. 151.

[5]) Sueton. Domitian. IV *celebrabat et in Albano quotannis Quinquatria Mineruae, cui collegium instituerat, ex quo sorte ducti magisterio fungerentur ederentque eximias uenationes et scaenicos ludos.*

[6]) CIL VI 1 p. 484 sq. Wissowa R. u. K. 383.

[7]) Mommsen, Eph. epigr. VIII p. 243 sqq. Wissowa ib.

[8]) Liebenam, Städteverw. p. 371.

[9]) Lex col. Genet. Iuliae LXX (CIL II Suppl. 5439 a = Dessau, Inscript. lat. sel. II 1 p. 504).

[10]) Ib. LXXI.

Iunoni Minervae triduom maiore parte diei, quot eius fieri poterit, et unum diem in circo aut in foro Veneri faciunto [1]. Item magistris, qui ad fana templa delubra erant, circensium edendorum officium lege erat iniunctum [2]: *mag(istri) ad fana templa delubra, que[m] ad modum decuriones censuerin[t], suo qu[o]que anno fiant e[i]qu[e] d(ecurionum) d(ecreto) suo quoque anno ludos circenses, sacr[i]ficia pulvinariaque facienda curent.* Atque ceteris in coloniis municipiisque ludos sive legitimos [3] sive honorarios [4] tam a summis magistratibus, II-viris (quinquennalibus) [5], III-viris [6],

---

[1]) Cfr ib. CXXVI. CXXVIII. Eph. epigr. III p. 102.

[2]) Lex col. G. I. CXXVIII.

[3]) *Duoviri i. d.* Pompeis opus faciunt ex ea pecunia quod eos *e lege* aut in ludos aut in monumento consumere oportuit X 829.

[4]) Ludi legitimi, quasi nimis soliti et ex ipsa re orti, nisi eximio splendore sunt ornati, in titulis non commemorantur. Quam ob rem vel plurimi, in quibus de ludis agitur, tituli ad eos spectant, qui ob honorem vel opere quodam confecto statuave posita ob dedicationem vel postulante populo sunt dati.

[5]) *Duovir* Minturnis in colonia, proinde ac lege col. Gen. Iul. erat praescriptum, per quadriduum munera dedit CIL X 6012 (in dextro latere). *Duovir* ludos splendidissimos sua dat quinquennalitate Surrenti X 688, bis duomviratu, tertium quinquennalitate loco incerto X 1074 d, munus gladiatorium Venafri X 4893. Pompeis *duovir* pro ludis (opus facit) X 845; item ex d. d. *II vir* X 854, 857 a—d; *II vir i. d.* X 855, 856; item *duoviri i. d.* Beneventi IX 1643, *II viri* Telesiae IX 2235. *Duovir* diem ludorum scaenicorum expostulante populo *de suo* edidit in municipio Vinensi VIII 958; munus gladiatorium post honorem II-viratus splendidissimum postulante populo libenter suscepit Minturnis X 6012; voto suscepto munus gladiatorium exhibuit Venafri X 4893, ludos in colonia Bisica Lucana VIII 1353. *Duovir* munificus gladiatores edidit Puteolis X 1795. *Duovir* et munerarius Beneventi IX 1540. *De sua* dant *pecunia* spectacula honoris causa *duoviri* quinquennales Pompeis X 852. *Quinquennalis* ludos scaenicos edidit Cirtae VIII 7123, munus per triduum Aeclani IX 1175, gladiatores et venationem *sua pecunia* Tiburi XIV 3663, gladiatores Peltuini IX 3437. Cfr Liebenam apud Pauly-Wissova R-E V p. 1822. Id. Städteverw. p. 371. Eph. epigr. II 128.

[6]) *Triumviri* Cirtae ludos scaenicos CIL VIII 6944, 6948, 7000, munus 6995, *sua pecunia* diem ludorum Floralium 6958 dant.

IIII-viris [1]), aedilibus [2]), quam a flaminibus [3]), sacerdotibus [4]), seviris Augustalibus [5]), Augustalibus [6]), magistris [7]) datos esse ex titulis pro certo efficitur.

---

[1]) IIII *vir* gladiatores edidit Hastae (?) CIL II 1305; IIII *vir i. d. pecunia sua* munus Curibus IX 4976, munus Circeis X 6429, Bergomi V 5124.

[2]) *Aedilis* ludos dat Thamugadi CIL VIII 2344; ludos scaenicos Cirtae VIII 6947, in municipio Giufitano VIII 858; diem ludorum celebravit Cirtae VIII 6046; *aediles* ludos scaenicos biduo *sua liberalitate* ediderunt in municipio Giufitano VIII 860; *aedilis* spectaculum gladiatorum circensium edidit Surrenti X 688, munus publicum Fundis X 6243; spectaculum pugilum et gymnasium *de suo* in oppido Villa Magna VIII 895. Cfr Mommsen Eph. epigr. VII p. 401 sqq. Kubitschek apud Pauly-Wissowa R-E 1 p. 462 sq.

[3]) *Flamen Divi Hadriani* ludos scaenicos *suā pecunia* fecit Ostiae CIL XIV 353, *flamen perpetuus Divi Magni Antonini* ludos scaenicos Rusicadi in colonia VIII 7963, *flamen perpetuus* ludos scaenicos exhibuit in municipio Turcetano (?) VIII 828; *flaminica perpetua domus Augustae* ludos scaenicos per quadriduum et circenses in colonia Augusta Gemella edidit II 1663; mater quaedam ob *flamonium* filiae ludos scaenicos pollicita est Thuggae VIII 1495; ob honorem *flamonii* annui munus dat quidam diebus III Theveste VIII 1888; *flamen* et curator muneris gladiatorii Villiani Deae Augustae Vocontiorum XII 1585; *flaminis Neronis Augusti filii perpetui* familia gladiatoria Pompeis pugnatura edicto nuntiatur IV 1185.

[4]) *Sacerdos divarum Augustarum* ob honorem sacerdotii circenses edidit in colonia Aug. Firma Astigitana CIL II 1471; *sacerdos perpetua et prima* in municipio Cartimitano spectacula II 1956; *sacerdos mulier Spei et Salutis Augustae* pro salute principis Antonini Pii patris patriae liberorumque eius eximium ludorum spectaculum Gabiis edidit XIV 2804.

[5]) Ob honorem *seviratus* barcarum certamina et pugilum data Balsae CIL II 13, ludi scaenici in colonia Italicensi II 1108, Naronae III 1769; *sevir* ludos scaenicos dedit Telesiae IX 2252; ludi et gladiatores cum cena sexvirali dati Auximi IX 5855; bis munus datum Venafri ab aliquo, qui bis *sexvir* factus erat X 4913.

[6]) *Augustalis* gladiatores quingentos Beneventi dedit CIL IX 1703, munera Telesiae IX 2249; *Augustalis II* pro salute imperatoris munus familiae gladiatoriae Suessae X 4760; *augustales* ludos fecerunt Puteolis X 1574, pro munere opus Luceriae IX 808. Cfr Neumann apud Pauly-Wissowa R-E II p. 2352, 2354.

[7]) *Magistri* ludos fecerunt Peltuini IX 3424, *magistri Herculis* ludos scaenicos biduo in vico Supinati IX 3857; *magistri* Mentis Corae ludos scaenicos fecerunt X 6512; *magistri* agri Campani ludos curaverunt I 565—567;

Romae et in municipiis ad ludos publicos edendos magnae quidem pecuniae ex aerario publico vel ex arca fisci quotannis erogabantur. Sed aequa utique vel adeo maior sumptus pars ipsis solvenda erat editoribus [1]). Huc accedit, quod idem magistratus et sacerdotes, quibus ludi legitimi erant edendi, haud ita raro spectacula sua exhibebant pecunia [2]). Quo factum est, ut ludos omnes Tertullianus ex liberalitate editorum factos esse diceret [3]).

Locis igitur supra allatis Tertullianus, cum inter editores ludorum non modo consules praetores quaestores, sed etiam magistratus flaminia sacerdotia recenseret, suae aetatis res, qua ratione Romae et in municipiis coloniisque ipse constitutas vidit, inter se confusas tractavit. Namque editores illi omnes ad ludos urbanos sunt referendi, hi potissimum ad municipales [4]).

Qui denique Tertullianea aetate et quot dierum Romae fuerint ludi publici exquirentibus nobis, cum nulli quos consulamus fasti eius aetatis supersint neque multum scriptores titulive ad rem explicandam suppeditent, ex fastis temporum antecedentium et subsequentium, quantum poterit, constituendum videtur. Quibus subsidiis licet omnia vel nomina vel dies ludorum tertii sae-

---

pro ludis *magister* pagi Aug. F. s(uburbani) opus fecit X 853. Cfr CIL I p. 159.

[1]) Lex col. Gen. Iul. LXX *IIviri . . . munus ludosve scaenicos . . . faciunto inque eis ludis eoque munere unusquisque eorum de sua pecunia ne minus HS ∞ ∞ consumito et ex pecunia publica in sing(ulos) II vir(os) d(um) t(axat) HS ∞ ∞ sumere consumere liceto.* Eadem lex (LXXI) aediles singulos bina saltem milia de sua pecunia iubet in ludos conferre, ex publico vero singula tantum milia singulis aedilibus ad ludos erogari. Cfr Mommsen, Eph. epigr. III 102. Friedl. SG. II [8] 306 sqq. Id. apud Marqu. Staatsverw. III [2] 487 sqq.

[2]) Cfr p. 40 n. 5. 6; p. 41 n. 1—3.

[3]) Accuratius de impensis in ludos collatis disseruit Tert. De idol. XVI (I 50, 23) *cedamus itaque succedere alicui posse, ut . . . non spectacula edat de suo aut de publico aut edendis praesit.*

[4]) Mommsen, Eph. epigr. VII p. 400 *Omnino quod testatur . . . Tertullianus transiisse hoc genus editionis ab honoribus mortuorum ad honores viventium, quaesturas dico (urbis Romae) et magistratus (nimirum municipales secundum iuris auctorum usum) et flamonia et sacerdotia, id confirmant tituli munera ita fere memorantes, ut cum magistratibus et sacerdotiis coniungi aut debeant aut certe possint.* Daremberg-Saglio II p. 1186 n. 27.

culi initio celebratorum non possint erui, praesertim cum suas quaeque domus imperatoria spectaculorum edendorum causas suosque habuerit dies, quos nisi ex fastis singulorum annorum non erueris, ea tamen nomina diesque, qui certe aut probabiliter ad Tertulliani aetatem sunt referendi, infra colligentur.

Primum igitur ex ludis veteribus ii, qui et in fastos anni Iuliani vetustiores et in Philocalianos sunt recepti, quin tertio quoque saeculo editi sint, non est cur in dubio ponamus. Fuerunt autem *ludi Megalenses* (Apr. 4—10)[1], *l. Ceriales* (Apr. 12—19)[2], *l. Florales* (Apr. 28—Mai. 3 vel Apr. 30—Mai. 3)[3], *l. Apollinares* (Iul. 6—13)[4], *l. Romani* (Sept. 4—19 vel 12—15)[5], *l. Divi Augusti et Fortunae Reducis* (Oct. 3—12 vel extremo tantum)[6], *l. plebei.* (Nov. 4—17 vel 12—16)[7]. Quorum in numerum ex fastis Philocali assumendi sunt *ludi Martiales* (Mai. 12)[8] et *l. Palatini* (Ian. 21—23 vel 17—19, 21—22), qui prioribus in fastis nondum palam facti, testimonio tamen scriptorum primo iam saeculo dati erant[9], et *ludi Compitales,* qui Tertulliani aetate si non

---

[1]) CIL I² p. 314. [2]) Ib. p. 315.

[3]) Ib. p. 317. Numerus dierum aliter in fastis lapideis, qui dicuntur, atque in Philocalianis indicatur. In illis initium ad Apr. 28, in his ad 30 notatum. Diesne VI an IV ludis Floralibus ineunte tertio saeculo tributi sint disceptaturi, cum ludos illos a Tertulliano inter praestantissimos suae aetatis ludos numerari (De spect. c. VI) atque quarto demum saeculo natali ipso Florae i. e. aedis ei consecratae, qui dies erat IV kal. Mai. (Aust, de aedibus p. 17, num. 37), celebrari solere (Lact. inst. I 20, 6: *Flora . . . certam pecuniam reliquit, cuius ex annuo fenore suus natalis dies celebraretur editione ludorum, quos appellant Floralia*) sciamus, potius pleno dierum numero quam imminuto eos datos posuerimus.

[4]) Ib. p. 321.

[5]) Ib. p. 328 sq. Posterior dierum numerus est fastorum Philocalianorum.

[6]) Ib. p. 331.

[7]) Ib. p. 335. Ludi Romani, l. Divi Augusti et Fortunae Reducis, l. plebei, quorum spatium quarto saeculo decurtatum erat, quot dies Tertulliani aetate occuparint, infra coniciemus.

[8]) Ib. p. 318. Friedlaender SG II⁸ p. 311.

[9]) CIL I² p. 308. Qui Severo regnante dierum ordo fuerit numerusque, non liquet.

stati at certe conceptivi dari solebant[1]). Ludi vero, qui in fastis vetustioribus Victoriae Caesaris (Iul. 20—30)[2]) et Victoriae Sullanae (Oct. 26—Nov. 1)[3]) ascripti, sed a Philocalo omissi sunt, quoniam cum Tertullianea aetate nulla ratione cohaerent, vix ad eam pervenerunt[4]).

Deinde secundum eosdem fastos Philocalianos[5]) et acta fratrum Arvalium[6]) circensibus celebrati sunt natales Divorum *Augusti* (Sept. 23), *Claudii* (Aug. 1), *Vespasiani* (Nov. 17), *Titi* (Dec. 30), *Nervae* (Nov. 8), *Traiani* (Sept. 18), *Hadriani* (Ian. 24), *Pii Antonini* (Sept. 19), *Marci Antonini* (Apr. 26), *Veri* (Dec. 15), *Commodi* (Aug. 31), *Pertinacis* (Aug. 1), et Divarum *Iuliae Augusti, Poppaeae Neronis, Plotinae Traiani, Sabinae Hadriani, Faustinae senioris Pii, Faustinae iunioris Marci,* quibus adiciendi sunt natalis imperatoris *Septimii Severi* (Apr. 11), quo regnante libellum de spectaculis scripsit Tertullianus[7]) et, nisi fallor, natalis *Caracallae* (Apr. 4), qui anno CXCVII imperator destinatus erat[8]). Quos omnes circenses ineunte tertio saeculo non est cur neglectos existimemus[9]). Circenses vero, quibus natalis imperii celebraretur, ab Severo sublatos esse Iulius Capitolinus docet[10]).

Tum ad recentiores anni p. Chr. CCCLIV ludos, qui ad deorum cultum exornandum erant instituti, si animum attenderis, haud facile discernas, qua in aetate origo eorum sit ponenda. Nam

---

[1]) Ib. p. 305. Compitales in fastis anni p. Chr. 354 inter dies Ian. 3 et 5 positi reperiuntur.

[2]) Ib. p. 322. [3]) Ib. p. 333.

[4]) De ludis Victoriae Caesaris aliisque abolitis cfr CIL I² p. 300. Wissowa R. u. K. p. 238 et 390 n. 5. Friedlaender SG II⁸ p. 312.

[5]) CIL I² p. 255 et 302 sq.

[6]) Henzen, Acta fratrum Arvalium p. 148.

[7]) Harnack, Gesch. der altchristl. Litt. II 2 p. 267 sq. Qui diversis sententiis inter se comparatis concludit: Es lässt sich also zunächst nicht mehr sagen, als dass De spect. in die Zeit vor 202/3 gehört.

[8]) CIL I² p. 302. Liebenam, Fasti consulares p. 110. Mommsen, Staatsr. II³ p. 1169 sq.

[9]) Cfr Mommsen, Röm. Staatsr. II³ p. 833. Wissowa R. u. K. 284 p. sqq.

[10]) Vita Pertinacis XV 5 *circenses et imperii natalis additi, qui a Severo postea sublati sunt, et genitalicii, qui manent.*

de plurimis et scriptores et tituli tacent. Ad initium tamen tertii saeculi referendi sunt ii, qui in fastis Philocalianis sic sunt notati: *natalis Urbis* (Apr. 21)[1], *ludi Neptunalici* (Iul. 22—23)[2], *Vulcanalici* (Aug. 23)[3]. Sed ad eundem numerum sintne trahendi *ludi Iano patri* (Ian. 7), *ludi Iovi Statori* (Ian. 13)[4], *natalis Herculis* (Febr. 1)[5], *Genialici* (Febr. 11—12)[6], *natalis Martis* (Mart. 1)[7], *ludi lovi Cultori* (Mart. 13)[8], *Liberalici* (Mart. 17)[9], *Veneralia ludi* (Apr. 1)[10], *natalis Dei Quirini* (Apr. 3)[11], *natalis Ca-*

---

[1]) Cfr CIL I² p. 316, ubi circenses hos Hadriani aetate denuo constitutos atque ad extremam usque aetatem propagatos esse satis probatur.

[2]) Ludos Neptunales Tertullianus ipse (De spect. c. VI) sua testatur aetate factos esse.

[3]) Ludos circenses Volcanales constat iam a. u. c. 734 institutos esse atque proximo, quod annum p. Chr. 217 antecesserat, tempore celebratos. CIL I² p. 326.

[4]) Ludos diebus Iano patri et Iovi Statori sacris testantur fasti Silvii datos esse a consulibus, quibus onus illud Mommsen docuit (CIL I² p. 306 sq.) iam secundo saeculo esse iniunctum.

[5]) De causa et origine ludorum horum apud auctores siletur, ac ne memorantur quidem illi nisi ab Ausonio De fer. 23 sq. Wissowa R. u. K. p. 224 n. 3.

[6]) Aureliani demum aetate Genialicos institutos esse putat Mommsen CIL I² p. 309. Sed Puteolis cum tituli doceant Claudio imperante ludos Genio oppidi esse datos (CIL X 1574), verisimile est Genium urbis Romae, unde religiones constat in municipia coloniasque emanasse, eorum participem iam prius factum esse. Cfr Wissowa R. u. K. p. 157.

[7]) Feriae Marti in fastis huic diei erant ascriptae, sed de circensibus nusquam nisi apud Philocalum facta est mentio. CIL I² p. 310.

[8]) Verba *Iovi cultori*, quae errore librarii exorta videntur, CIL I² p. 311 emendata sic redduntur: *Iovi custodi*. Cui numini cum constet aedem in Capitolio dedicatam esse a Domitiano (Tac. Hist III 74. *Mox imperium adeptus Iovi Custodi templum ingens seque in sinu dei sacravit.* Suet. Dom. 5. Becker Top. 407. Jordan Top. I 2 p. 49 sq.), fieri potest ut natalis templi, ubi et ipse princeps sacratus esset, usque ab initio circensibus sit celebratus.

[9]) Feriis Liberi ludi circenses, qui ab Ausonio (De fer 29 sq.) commemorantur, quando sint adiuncti non liquet.

[10]) Veneralia feriae erant Veneri sacratae, quibus constat aedem a. DCXL (= 114) Veneri Verticordiae dedicatam esse. De ludis vero circensibus huius diei nihil est memoriae proditum. CIL I² 314. Wissowa R. u. K. p. 236 sq.

[11]) Natalis dei Quirini circensesque eo die dati nusquam nisi in fastis Philocali et Silvii commemorantur.

storis et Pollucis (Apr. 8)[1], *ludi Fabarici* (Mai. 29—Iun. 1)[2], *ludi in Minicia* (Iun. 4)[3], *natalis Salutis* (Aug. 5)[4], *natalis Solis et Lunae* (Aug. 28)[5], *ludi fatales* (Sept. 29—30)[6], *ludi Iovi Liberatori* (Oct. 13—18)[7], *ludi Solis* (Oct. 19—22)[8], *ex se nato circenses* (Nov. 1)[9], *natalis Invicti* (Dec. 25)[10], de quibus nulla fere apud primi vel alterius saeculi scriptores facta est mentio, nobiscum reputantes, si quidem tenuerimus quanto studio posterioris aetatis plerique imperatores totaque civitas religiones amplexi sint peregrinas, vix ut ad sustinendum, nedum ad amplificandum cultum deorum veterum intenderent animos[11]), hos quo-

[1]) Coniecturam Mommsenii (cfr CIL I² p. 315) Wissowa iure improbans (R. u. K. p. 218 n. 3) hunc natalem putat (ib. p. 217 n. 3) ad aedem Castorum aliquando restauratam referendum esse. Sed de ludis eo die factis nihil habemus compertum.

[2]) CIL I² p. 319 Mommsen, cum de kalendis Iuniis disseruisset, pergit: *Ludi praeterea ignoti etiam ignobiles fuerunt editi deae plebeiae nec nisi dimidiato circensium numero honoratae.*

[3]) Id. ib.: *Porticus Minucia cum fuerit in circo Flaminio . . ., ludos ibi factos coniunctos esse apparet cum sacrificio Herculi ibidem oblato.*

[4]) Aedes Salutis, quae a. u. c. CCCCLII (= 302) erat dedicata (Huelsen Top. p. 403 sqq.), imperante Claudio incendio est deleta (Plin. N. h. XXXV 19), sed paulo post denuo aedificata. Quo ex tempore, ut aedes nova ab incendiis tegeretur, natalem eius putaverim in ferias publicas esse versum. Cfr CIL I² p. 324. De ludis scriptores tacent.

[5]) Ad eam Solis aedem, cuius mentionem Tertullianus De spect. c. VIII inicit, hunc natalem refert Wissowa R. u. K. p. 261. Sed ludi huius diei ab omnibus auctoribus sunt praetermissi.

[6]) Ludi fatis consecrati quando initium ceperint ignoratur. De fatis numinibus cfr Wissowa R. u. K. p. 213.

[7]) Inter ludos Iovi Liberatori datos et Capitolinos si ratio quaedam intercessit, quod putat Wissowa (R. u. K. p. 391), certe illi inter ludos aetatis Tertullianeae sunt recensendi.

[8]) Ludi incertae originis sunt.

[9]) Ludos hos cum Isiis esse coniungendos docet Mommsen CIL I² 334.

[10]) Origo ludorum ignota. CIL I² p. 338.

[11]) Cfr Réville, Die Religion der röm. Gesellschaft im Zeitalter des Synkretismus 1906 p. 45 sqq. Cumont, Die orient. Religionen im röm. Heidentum p. 47. Quantopere posteriorum imperatorum aetate dei veteres novis et peregrinis, Cappadociis, Aegyptiis, Syriis, Persicis posthabiti sint, vel ex hoc intellegitur, quod quarum quidem aedium natales cognitos habemus, nulla ea-

que ludos exceptis circensibus ex se nato, natali Invicti ludisque Solis, quibus cum feriis aut ludis antiquis nulla sit societas [1]), omnes iam ante tertium saeculum institutos esse statuemus.

Qui denique ludi anni CCCLIV ad prosperitates spectant publicas, ii ex omnibus diebus, qui CLXV [2]) spectaculis eo anno

rum post annum 180 veteribus et vernaculis deis est dedicata (cfr Wissowa R. u. K. p. 519), nisi ad eos Iovem Ultorem et Iunonem Martialem rettuleris. Cfr Aust, Jahresb. d. Kaiser-Friedr.-Gymn. zu Frankf. a. M. 1898 p. XXVI.

[1]) Cfr Wissowa R. u. K. p. 294. 307.

[2]) Summam illam qua ratione effecerim, paucis exponam. CIL I [2] p. 300 eadem summa diebus X gladiatoriis de CLXXV diebus detractis exhibetur. Quod si singulos numeros, quibus eadem sequentique pagina variorum ludorum dies indicantur, computaveris, summa omnium fiet CLXVII, quae tamen, cum erratum typographi p. 301 v. 16, ubi Adiabenicis tributi sunt dies 5 pro diebus 4 (cfr ib. p. 257 ad Ian. 28 et p. 309 ad Ian. 28—31), emendaveris, ad CLXVI redigetur. Iam vero duo dies Sept. 18 et Nov. 8, qui cum singuli binis ludis, ille ob victoriam de Licinio a. 323 reportatam (cfr ib. p. 329 ad Sept 18) et natalem Traiani, hic ob natalem verum Nervae et natalem imperii Constantii II, celebrandis sint destinati, bis ideo in indice illo memorati sunt, semel tantum computati efficiunt, ut summa omnium dierum, qui pp. 300 et 301 sunt numerati, ad CLXIV contrahatur. Item Wissowa (R. u. K. p. 390) summam omnium dierum, qui a. p. Chr. 354 ludis et muneribus celebrati sunt, CLXXVI fuisse dicit; iam si singuli ludorum dies, qui pp. 390 et 391 sunt numerati, colliguntur, summa omnium dierum X muneribus exceptis CLXV videtur. Quo de numero cum unus dies (Sept. 18), qui et inter ludos triumphales et natales XVIII divorum memoratur, detractus est, CLXIV dies restant. Indices autem, quos et Mommsen et Wissowa de ludis anno p. Chr. 354 editis comparaverunt, in eo inter se differunt, quod ludos Ostienses (Ian. 27), quos ille in eo numero comprehendit, hic omisit, Apollinaribus vero ille dies VIII, qui numerus in prioris aetatis fastis iis erat ascriptus, hic fastos Philocalianos secutus IX attribuit. Qui tamen numeri inaequales, ut facile perspicitur, nihil ad summam dierum apud utrumque perturbandam valent. Sed in utroque indice dies imperatoris Constantii II natalis (Aug. 7), qui inter natales Caesarum (CIL I [2] p. 255) et in fastos ipsos Philocali (ib. p. 270) receptus invenitur, nescio qua de causa omissus est. Quem nos ratiocinantes cum comprehenderimus, summa quam supra notavimus dierum CLXV confecta est. Inter varia autem ludorum genera dividuntur dies illi ita, ut ad scaenicos sint referendi C dies, non CI, quem numerum collegit Mommsen CIL I [2] p. 300, reliqui ad circenses. — Hic duo typographi errata, quae in CIL I [2] p. 300 irrepserunt, velim annotare, quorum alterum occurrit in n. 1 l. 1, ubi pro numero 27 impressnm invenies 26, alterum in ludorum indice, ubi Ostiensibus pro

celebrandis destinati erant, plus quam tertiam partem scilicet LXII dies occupant. Sed nullus eorum eiusmodi est, cuius origo ultra Constantii II, qui tum rebus imperii praeerat, eiusque patris Constantini imperium pertineat. Numerus tamen ille dierum, qui spectaculis prosperitatum causa sunt ornati, numero auctus dierum XXII, qui in fastis Philicalianis ad divos imperatoresque circensibus honorandos constituti sunt [1]), cum vel planissime ostendit ludos ex deorum cultu profectos imperatoria aetate magis magisque ad cultum Caesarum sustinendum et ad facta eorum celebranda esse delapsos, tum dimidiam partem docet omnium ludorum quarto demum saeculo constitisse ex iis, qui ob laetitias publicas darentur [2]).

Quodsi dies singulos, quos Tertullianea aetate deorum causa ludis esse ornatos maiore vel minore cum fide ostendimus, ita computamus, ut ludos, qui tertio quartoque saeculo communes esse videbantur, totidem dierum fuisse ponamus, iis vero, qui primo quartoque saeculo disparibus diebus celebrabantur [3]), maximum aut minimum dierum numerum attribuamus, summa omnium eiusmodi dierum aut XCVIII aut LXVII conficitur aut, si mediam tenemus viam, ad LXXXII colligitur [4]). Neque dierum,

---

Ian. 27 datus est Ian 26. Item errore typographi apud Wissowam (R. u. K.) p. 391 l. 5 numerus 19 pro 18 impressus est.

[1]) Quem in numerum Augustales (Oct. 12) circensesque Lorio datos (Febr. 25) rettuli. — Circenses Lorio Tertullianea aetate editos puto, quoniam tertio demum quartove saeculo, cum memoria Pii ab Hadriano adoptati iam abolevisset, institutos essse eos non est credibile. CIL I [2] p. 310 ad Febr. 25.

[2]) Quantum rationes, quae inter ludos ad deos spectantes et ob laetitias publicas datos intercedebant, intra CCCL annos sint mutatae, ex eo intellegitur, quod Augusti aetate illi 65 erant dierum, hi autem, si ad eos ludos Victoriae Caesaris, ludos Augustales, ludos divi Augusti et Fortunae Reducis, ludos Victoriae Sullanae rettuleris, 29 erant dierum, quarto vero saeculo illi 81, hi 84 dies occupabant. Cfr tab. I huic opusculo adiuncta.

[3]) Fuerunt autem l. Palatini, l. Florales, l. Apollinares, l. Romani, l. Iovi liberatori, siquidem, quod conicit Wissowa (R. u. K. p. 391), cum ludis Capitolinis congruunt, ludique plebei.

[4]) In tabula adiuncta I accuratius ratiocinantes eiusmodi dierum numerum 76 dies fuisse constituimus. Quem numerum qua ratione confecerimus ut ostendamus, ad ea quae supra allata sunt hoc adiciemus, quod l. Roma-

quibus ludi ad Caesares honorandos et ad laetitias publicas celebrandas dati erant, siquidem, quod vix est cur in dubio ponamus, eadem quae inter huius generis priorisque ludos quarto saeculo intercessit ratio iam tertio saeculo obtinuerat, numerus minor fuit quam prioris generis. Horum ludorum qua de causa essent celebrati dies XXVIII iam statuimus [1]). Reliquos dies ad hoc ludorum genus pertinentes, quorum numero diebus illis XXVIII aucto ut eandem quam supra fecimus summam mediam efficeremus, LIV fuisse coniecimus [2]). Medius igitur omnium dierum, qui Tertullianeae aetatis in ludis celebrati sunt, numerus videtur CLXIV fuisse.

Si vero ex minimo dierum, quos ad deorum cultum ludis exornandum pertinuisse coniecimus, proficiscemur numero eandem-

---

nos et l. plebeios, quos dicit Werber (Tertullians Schrift de spect. Progr. des Gymnas. in Teschen 1896 p. 18) a Tertulliano ideo esse omissos, quod nominibus eorum nulla significaretur idololatria, eam quoque ob rem ab eo putamus neglectos esse, quod ineunte iam tertio saeculo honore antiquo privati imminuto dierum numero celebrarentur. Etenim si quanta amplitudine aetate priore erant dati, tanta etiam tertio saeculo celebrati essent, vix eos Tertullianus omisisset, qui Latiares quoque, quorum nomine nullus deus indicatur, dignos duxit quos commemoraret.

[1]) Hunc in numerum 17 dies, quibus natales divorum exceptis Claudii et Pertinacis natalibus, qui in diem Martialium incidunt neque ad summam dierum augendam valent, et divarum et imperatorum regnantium excepto Caracallae natali, qui incidit in Megalensium primum, celebrabantur, circensium Lorio datorum unum, ludorum divi Augusti et Fortunae Reducis utpote ad Caesarum honores spectantium 10 dies, quorum numerus vix prius quam quarto saeculo ob ludos Alamannicos tum institutos imminutus erat, rettulimus.

[2]) Numerum illum 54 dierum nimium re vera non duxerimus, cum eiusmodi ludis in fastis Philocalianis 62 dies sint notati, causasque eorum celebrandorum Severo imperatore neque pauciores neque minores fuisse quam Constantio docuerint qui res ab eo gestas memoriae prodiderunt. (Cfr ex. gr. quae traduntur ab Aelio Spartiano Vitae Sev. cc. XI 7. XVI 2. XVIII 1, 3). Neque ex eo, quod Severus fertur circenses natalis imperii sustulisse (Vita Pertinacis XV 5), colligere velim alios quoque ludos ab eo imminutos vel deletos esse. Is enim et ipse ludos edidisse traditur (cfr Vita Sev. III 5. XIV 11. Cassius Dio LXXVI 1, ubi de ludis 7 per dies continuatis agitur), ludique sub eius imperio editi apud scriptores memorantur (Vita Sev. XIV 1. XXII 3. Cassius Dio LXXVI 3. 7).

que quam supra computandi rationem sequemur, summum omnium conficiemus numerum CXXXIV dierum, qui tantus fere est, quantum M. Aurelius ludis concessit [1]). Quo numero inferiorem numerum fuisse eorum dierum, qui ineunte tertio saeculo ludis celebrabantur, non crediderim [2]). Namque homines spectaculorum cupidissimos, qua essent assuefacti ludorum annuorum multitudine, eam verisimile est imminutam aegre passos esse. Quo factum est, ut imperatores aurae populari obnoxii paucis exceptis [3]) numerum ludorum tantum, quantus fuisset prius, retinere studerent et, si quos veteres delerent, alios novos instituerent.

Quot igitur fuerint universi dies Tertullianea aetate ludis publicis celebrati, si statuere voluerimus, nullum certum dare numerum poterimus. Hoc tamen constare videtur numerum illum infra CXXXIV non descendisse, et usque ad CLXIV, quantus fere numerus eiusmodi dierum anno CCCLIV fuit, iam tum ascendere potuisse [4]). Munera vero publica inde ab Domitiani temporibus X diebus quotannis data esse iam supra diximus [5]).

Ad rationem, quae inter trium illarum aetatum ludos intercessit, planius illustrandam duas [6]) huic opusculo adiecimus tabulas, quarum altera ludorum omnium ad aetates illas pertinentium nomina diesque enumerantur et computantur, altera ludorum singulis illis aetatibus factorum genera diesque suis lineis notata inter se comparantur.

---

[1]) Vita M. Antonini X 10 *fastis dies iudiciarios addidit, ita ut ducentos triginta dies annuos rebus agendis litibusque disceptandis constitueret.* Wissowa R. u. K. p. 380. [2]) Wissowa ib. p. 380 sq.

[3]) Inter eos Nerva et Macrinus commemorantur. CIL I ^{2} p. 300 et 303. Wissowa ib. p. 390 n. 5.

[4]) Quantus ludorum dierumque, qui ludis celebrabantur, numerus Tertullianea aetate fuisset, parum diserte aestimare conatus est Noeldechen, Zeitschr. f. wissensch. Theol. 1894 p. 94 sqq.

[5]) De quibus cfr ex. gr. Mommsen CIL I ^{2} 336 ad Dec. 1.

[6]) Vid. tab. I et II.

III. De locis ludorum.

Sicuti origines nominaque ludorum perscrutatur Tertullianus, ut quos ad deos venerandos spectacula instituta sint et edita ostendat, ita loca, in quibus spectacula dabantur, vocat [1]) ad testimonium, *ut eorum* demonstret *esse, quae in iis locis fiunt, quibus ipsa loca dicantur* [2]). Quam argumentandi viam non sine idonea iniit causa. Constat enim apud Romanos non solum loca omnia numinibus geniisque variis attributa esse habitanda et tuenda, quorum Tertullianus his verbis meminit [3]): *ceterum et plateae et forum et balneae et stabula et ipsae domus nostrae sine idolis* [4]) *omnino non sunt: totum saeculum satanas et angeli eius repleuerunt* [5]), sed etiam ludos vetustissimos iis locis, quae diis erant

---

[1]) De spect. VIII (I 10, 24).

[2]) Cfr De spect. IV (I 6, 12) *commemorabimus origines singulorum* (spectaculorum), *quibus in cunabulis in saeculo adoleuerint, exinde titulos quorundam, quibus nominibus nuncupentur, . . . tum loca, quibus praesidibus dicentur.*

[3]) Ib. VIII (I 10, 14).

[4]) Tertullianus quid *idolo* et *idolotatria* vocibus significet, ita demonstrat: De idol. III (I 32, 30) *εἶδος Graece formam sonat; ab eo per diminutionem εἴδωλον deductum; aeque apud nos forma formulam fecit. igitur omnis forma uel formula idolum se dici exposcit. inde idololatria omnis circa omne idolum famulatus et seruitus.* De magna statuarum, quae aetate imperatoria in plateis, foris, porticibus urbis positae erant, multitudine monet O. Richter (Iwan Müller, Handb. III 1889 p. 772).

[5]) Item Ad nat. II 15 (I 128, 8) *quid enim magnum? cum et numina sua habeant in lupanaribus, in culinis et etiam in carcere?* Prudent. c. Symm. II 445 *Quamquam cur Genium Romae mihi fingitis unum? Cum portis, domibus, thermis, stabulis soleatis Adsignare suos genios, perque omnia membra Urbis perque locos geniorum milia multa Fingere, ne propria vacet angulus ullus ab*

consecrata ipsis, quorum ad cultum ludi pertinebant, esse celebratos, veluti Equirria in campo Martio, ubi ara Martis stabat[1]), Consualia ad aram Consi edita feruntur[2]). Item Capitolinos ludos Tertullianus Pisone, ut ait, auctore tradit Iovi Feretrio in monte Tarpeio, ubi observatio Iovis ex antiquis temporibus usu venit, esse institutos[3]). Et circenses, quos fratres Arvales quotannis in honorem Deae Diae exhibebant, in luco ei sacro, ubi circus ad id ipsum erat constructus, fiebant[4]). Ad illa tempora remotissima, ad illa loca ludorum antiquissima Tertullianus, quod ex libri De spect. c. II (I 2, 12) elucet, ubi exstructiones locorum ex saxis, caementis, marmoribus, columnis dicit constare[5]), etsi non spectat, multa tamen in posterioris aetatis aedificiis restant testimonia, quibus quae ipsis locis haereat superstitio coarguatur. Quae vero posterioris aetatis de circo, theatro, amphitheatro, stadio promiscue a Tertulliano commemorantur num sint ad loca cuiusque generis certa quaedam referenda an cum omnibus, ubicumque erant, eiusdem generis locis componenda, priusquam diiudicemus, singula quaeque, quae de unoquoque loco adferuntur, perspiciamus, sed ita ut cum iis, quae de aedificiis in

---

umbra? Cfr Birt in Roscheri lexico I p. 1621 sq. Qui cum titulorum testimoniis genios vici, pagi, curiae, horreorum, portorii, vigiliarum, theatri, areae frumentariae, macelli, scholae, thermarum, valli, fluminis, montis cultos esse ostendit, Tertulliani Prudentiique verba evidentissime comprobat. De geniorum magno numero cfr Wissowa, R. u. K. p. 22. Friedl. Sitteng. IV [8] p. 160. Preller, Röm. Myth. II [3] 200 sqq. Id. ib. I [3] p. 86.

[1]) Varro De l. l. VI 13 *Ecurria ab equorum cursu; eo die enim ludis currunt in Martio campo.*

[2]) Id. ib. VI 20 *Consualia dicta a Conso, quod tum feriae publicae ei deo et in circo ad aram eius . . . ludi.*

[3]) De spect. V (I 7, 22) *dehinc idem Romulus Ioui Feretrio ludos instituit in Tarpeio.* Cfr Wissowa R. u. K. p. 103. Aust in Roscheri lex. II p. 670 sqq.

[4]) Wissowa ib. p. 487. Birt in Roscheri lexico I p. 967, 974.

[5]) *Plane, et ipsae extructiones locorum, quod saxa, quod caementa, quod marmora, quod columnae dei res sunt, qui ea ad instrumentum terrae dedit.* De *instrumenti* vocabuli significatione cfr Ovid. Trist. I 1, 9 *felices ornent haec instrumenta libellos.*

urbe Roma exstructis habemus cognita, quantum fieri potest conferamus.

Circus igitur ita describitur[1]): *circus Soli principaliter consecratur. cuius aedes in medio spatio et effigies de fastigio aedis emicat, quod non putauerunt sub tecto consecrandum quem in aperto habent. qui spectaculum primum a Circa (habent) Soli patri suo, ut uolunt, editum affirmant, ab ea et Circi appellationem argumentantur. plane uenefica eis utique negotium gessit hoc nomine, quorum sacerdos erat, daemoniis et angelis scilicet. quot igitur in habitu loci illius idololatrias recognoscis? singula ornamenta circi singula templa sunt. oua honori Castorum adscribunt qui illos ouo editos credendo de Cygno Ioue non erubescunt. delphines Neptuno uomunt, columnae Sessias a sementationibus, Messias a messibus, Tutulinas a tutela fructuum sustinent; ante eas tres arae trinis deis parent, Magnis Potentibus Valentibus. eosdem Samothracas existimant. obelisci enormitas, ut Hermateles affirmat, Soli prostituta. scriptura eius unde eius et census: de Aegypto superstitio est. frigebat daemonum concilium sine sua Matre Magna; ea itaque illic praesidet euripo. Consus, ut diximus, apud metas sub terra delitescit Murcias. eas quoque idolum fecit: Murciam enim deam amoris uolunt, cui in illa parte aedem uouerunt.* Singulas vero quas Tertullianus de circo disserens attigit res propius iam contemplabimur.

Sol, cui potissimum Tertullianus circum ait esse consecratum, non prius inter deos, qui circum tuebantur Romanum, est receptus, quam ex imaginibus Graecis, in quibus quadriga vehens conspiciebatur, aliquo modo cum ludis circensibus intellegeretur coniunctus esse[2]). Easdem imagines in memoriam ut revocemus verba postulant Tertulliani, quibus Sol cum quadrigis, Luna cum bigis — et depingi saepe coniuncti solebant[3]) — ita componuntur, ut quadrigae illi, huic bigae consecratae fuisse dicantur[4]). Ea igitur, quae fingebatur inter Solem et ludos cir-

---

[1]) De spect. VIII (I 9, 11). [2]) Wissowa R. u. K. p. 261.

[3]) Rapp in Roscheri lex. I p. 2008 sqq.

[4]) De spect. IX (I 11, 3) *seiugas uero Ioui, quadrigas Soli, bigas Lunae sanxerunt.* Seiugas quoniam nemo, quod sciam, scriptor nec monumenta

censes intercedere, ratione perspecta factum erat ut templum, quod illi et Lunae communiter votum erat, in circi vicinitate placeret aedificari [1]). Postea vero templum illud intra ipsos circi terminos stetisse [2]) testantur praeter Tertullianum imagines. Conspicitur enim in anaglypho Maffeiano [3]) clipeoque Philippi [4]) in ea circi parte, quae ad occidentem vergit, aedicula, quam Huelsenius pro Solis templo habet [5]). Aedes Solis, si Tertulliano fides est habenda, a ceteris templis ita differebat, ut simulacrum dei non sub tecto, sed in fastigio positum esset. Soli cum praeter templum dedicatus esset obeliscus, quem Augustus anno a. Chr. X Heliopoli ex Aegypto Romam deferendum curaverat delatumque in spina posuerat [6]), ubi veneratione pristina ornatus diei ho-

---

ipsi ascribunt Iovi, hanc sententiam inde putaverim exortam, quod imperatores usque a Caligula omnes deinceps, cum Iovis partes aut in triumphis (Wissowa R. u. K. 111) aut in pompis ludorum (Daremberg-Saglio, Dict. I p. 1193) agerent, seiugis vehi solebant. Cfr Mommsen, Staatsr. I³ 395 n. 1. Friedlaender, Phil. u. Hist. Abh. d. königl. Ak. d. Wissensch. zu Berlin 1873 p. 75, tab. 4; Forrers Reallex. p. 553 Taf. 150 Fig. 3. De quadrigis Solis bigisque Lunae apud scriptores saepe mentio est facta. Anthol. lat. 197, 17 R. *Lunae biga datur semper Solique quadriga.* Cassiod. var. III 51, 6 *Biga quasi lunae, quadriga solis imitatione reperta est.* Plura invenies in Roscheri lex. I p. 2006; II p. 2157 et 3141; apud Pauly-Wissowa R-E III 467: bigae.

[1]) Tac. ann. XV 74 *Tum dona et grates deis decernuntur, propriusque honos Soli, cui est vetus aedes apud circum.*

[2]) Huelsen, Top. p. 115: Durch die späteren Anbauten (sc. des Circus) wird (der Tempel) in den Zuschauerraum hineingezogen worden sein.

[3]) Vid. tab. III B huic opusculo adi.; Annali dell' Inst. di corr. archeol. 1839 t. IV 2; Daremberg-Saglio I p. 1191. [4]) Friedlaender, ib. tab. I.

[5]) Top. ib. Cfr id. ib. p. 131 n. 57.

[6]) Inscriptio in ipso obelisco exarata (CIL VI 701 sq.): *Imp. Caesar Divi . Augustus pontifex maximus imp. XII cos. XI trib. pot. XIV Aegypto in potestatem populi Romani redacta Soli donum dedit.* Plin. N. h. XXXVI 71 *Is autem obeliscus quem divus Augustus in circo magno statuit excisus est a rege Psemetnepserphreo . . . LXXXV pedum et dodrantis praeter basim eiusdem lapidis.* Nomen vero *Hermatelis* prorsus ignotum, quem Tertullianus dicit sibi auctorem fuisse in obelisci dedicatione eruenda, Ernestium Klussmannum (Q. Sept. Florent. Tertulliani libellus De spectaculis. Rudolphopoli 1876 p. 37) secutus putaverim emendandum esse in *Demotelem*, quem Plinius (N. h. XXXVI 79) tradit de pyramidibus scripsisse. Cfr Huelsen Top. p. 124 n. 37.

ras notaret[1]), principem inter deos, qui in circo observabantur, locum minime mirandum est a Tertulliano esse attributum[2]).

Circam[3]) Solis filiam fuisse plurimi, qui fabulas antiquissimas memoriae prodiderunt, scriptores inter se consentiunt[4]), veneficamque fuisse volunt omnes. Neque vero quisquam eorum mentionem inicit de ludis a Circa exhibitis. Quinam igitur fuerint qui ab ea primum spectaculum Soli datum adfirmaverint si quaesieris, responsum ab ipso tuleris Tertulliano, qui eosdem illos scriptores dicit circi appellationem a Circa deduxisse. His enim verbis adiectis a grammaticis enuntiat totam eam sententiam profectam esse. Planior etiam redditur ea sententiae origo, si cum verbis Tertulliani haec Isidori[5]) composueris: *Est autem circus omne illud spatium quod circuire equo solent. Hunc Romani dic-*

---

[1]) Plin. N. h. XXXVI 64 *Trabes ex eo* (scil. ex syenite) *fecere reges quodam certamine obeliscos vocantes, Solis numini sacratos. radiorum eius argumentum in effigie est et ita significatur nomine Aegyptio. primus omnium id instituit Mespheres qui regnabat in Solis urbe somnio iussus. hoc ipsum inscriptum ėst in eo, etenim scalpturae illae effigiesque quas videmus Aegyptiae sunt litterae.* De inscriptione hieroglyphica cfr Marucchi, Bull. comun. 1896, 145 sq. 250 sq.

[2]) Veneratio Solis observatione Mithrae aucta quam penitus fuerit hominum animis sensibusque infixa vel inde perspicitur, quod V:o demum saeculo Leo, qui Magnus appellatur, episcopus christianos monuit, ne basilicam Petri apostoli intrantes solem nascentem, ut solebant, adorarent. Nissen, Ueber Tempelorientierung, Mus. Rhen. N. S. 28 pp. 524, 555. Cfr Wissowa, Gesam. Abhdl. p. 180 sq.

[3]) Cfr Seeliger in lexico Roscheri II 1193 sqq.

[4]) Hom. Od. X 135 sqq. *Αἰαίην δ' ἐς νῆσον ἀφικόμεθ'· ἔνθα δ' ἔναιεν Κίρκη ἐυπλόκαμος, δεινὴ θεὸς αὐδήεσσα, αὐτοκασιγνήτη ὀλοόφρονος Αἰήταο· ἄμφω δ' ἐκγεγάτην φαεσιμβρότου Ἠελίοιο μητρός τ' ἐκ Πέρσης, τὴν Ὠκεανὸς τέκε παῖδα.* Ib. 276 Circe *πολυφάρμακος* appellatur. Hes. Theog. 956 sq. *Ἠελίῳ δ' ἀκάμαντι τέκεν κλυτὸς Ὠκεανίνη Περσηὶς Κίρκην.* Ib. 1011. Verg. VII 10 sqq. *Proxima Circaeae raduntur litora terrae, dives inaccessos ubi Solis filia lucos assiduo resonat cantu.* Ib. 19 sq. *Quos hominum ex facie dea saeva potentibus herbis induerat Circe in vultus ac terga ferarum.* Dion. Hal. AR IV 63, 1. Tib. IV 1, 61. Prop. IV 12, 27. Mart. epigr. VIII 36, 10. — In scholiis ad Apoll. Argon. III 200 Circe dicitur sive soror sive filia fuisse Aietae.

[5]) Etymol. XVIII 28, 1. 2.

tum putant a circuitu equorum, eo quod ibi circum metas equi currant. Graeci vero a Circe Solis filia, quae patri suo hoc genus certaminis instituit, asserunt nuncupatum, et ab ea circi appellationem argumentantur. Isidorus igitur cum Tertulliani locum, ubi de Circa agitur, exscriberet, aliquid de grammaticorum scriptis sumptum videtur addidisse sive potius, cum litterarum Graecarum rudis esset [1]), communi ex fonte, quem constat Suetonii libros fuisse [2]), plura hausisse. Unde autem fabulam illam de ludis a Circa datis acceperint grammatici, quos Suetonius et, qui eum secuti sunt, Tertullianus Isidorusque de ea ipsa dicunt circi nomen derivasse, num ipsi finxerint an traditam rettulerint, disceptantes fictam potius esse censemus, si qualis Circe describatur a scriptoribus, qui eam ab omni fere cum hominibus commercio secludunt, memoria repetimus. Neque tamen, cum eas societates reputamus, quas Circe in occidente cum hominibus inisse traditur [3]), fieri negamus potuisse, ut apud gentem, quae inter reges suos eam sustulisset aut divino ornavisset honore [4]), fabula illa ortum caperet et divulgaretur, praesertim cum ne apud scriptores quidem Circe prorsus expers vel curru vehendi vel equorum

---

[1]) M. Klussmann, Excerpta Tertullianea in Isidori Hispalensis Etymologiis p. 6.

[2]) Schanz, Gesch. d. röm. L. III ^{2} p. 293. Id. ib. p. 57 sq.

[3]) Circe narratur mater fuisse Ausonis ex Ulixe (Lyd. De mens. I 12 p. 3, 19 Wuensch. Serv. ad Aen. VIII 328. Schol. Lycophr. 44. Cfr Hoefer apud Pauly-Wissowa II 2561); Latini ex eodem (Hes. Theog. 1011 sqq. Ps.-Scymn. v. 225 sq. Verg. Aen. XII 164. Serv. ad Aen. VII 47. XII 164); Romi, Antiae, Ardeae ex eodem (Dion. Hal. AR I 72, 5); Telegoni ex eodem (Id. ib. IV 45, 1); gentis Mamiliae ex eodem (Liv. I 49, 9. Dionys. Hal. ib. IV 45, 1. Fest. p. 130 Mamiliorum); ex Telemacho Latini mater (Fest. p. 269); Fauni mater (Nonn. Dionys. XXXVII 56 sq.); cfr Seeliger in Roscheri lex. II p. 1200 sq. Schwegler Röm. G. I p. 403 n. 27. Escher apud Pauly-Wissowa, R-E I p. 920: Aiaia.

[4]) Strab. V 232 *ἔχει δὲ* (sc. *τὸ Κιρκαῖον ὄρος*) *πολίχνιον καὶ Κίρκης ἱερὸν καὶ Ἀθηνᾶς βωμόν, δείκνυσθαι δὲ καὶ φιάλην τινά φασιν Ὀδυσσέως.* Cic. De nat. deor. III 19, 48 *Circen . . . coloni nostri Circeienses religiose colunt.* Plin. N. h. XXV 10 *Itala Circe dis etiam adscripta.* Seeliger ib. p. 1201 sq.

curandorum exhibeatur. Quadriga Solis narratur ex Colchide in Italiam esse vecta [1]), quo itinere facto quis neget homines sibi finxisse eam ludos circenses in honorem patris instituisse? Fauno regi Laurenti equos fertur parasse generosos [2]), quos Vergilius, nisi Circam comperisset equorum adhibendorum peritam fuisse, vix ei ipsi commisisset educandos et parandos. Sed fabula illa fueritne quondam apud gentem aliquam divulgata necne, in medio relinquimus. Id unum nobis videtur constare, grammaticos Graecos de circi nomine disserentes ea usos esse. Cuius rei testimonium etiam apud Io. Lydum (De mens. I 12 p. 3, 22 Wuensch) invenies, qui de circo haec — ab eodem, credo, scriptore atque illa Tertulliani et Isidori sumpta — tradidit: *αὕτη γοῦν ἡ Κίρκη διὰ κάλλους ὑπερβολὴν τοῦ Ἡλίου θυγάτηρ εἶναι ἐκόμπαζε καὶ εἰς τιμὴν τοῦ οἰκείου δῆθεν πατρὸς ἱππικὸν ἀγῶνα πρώτη ἐν Ἰταλίᾳ ἐτέλεσεν, ὃς δὴ καὶ ἐξ αὐτῆς ὠνομάσθη κίρκος* [3]).

Alterum templum, quod teste Tertulliano circi foris erat inclusum, aedes fuit Murciae [4]). Quae aedicula qua ratione intra ipsum circi ambitum sita fuerit, Wissowa [5]) exposuit: *quod profecto aliter explicari nequit, nisi ut sacellum antiquitus in valle*

---

[1]) Apoll. Argon. III 309 sqq. *ᾔδειν γάρ ποτε πατρὸς ἐν ἅρμασιν Ἠελίοιο δινεύσας, ὅτ' ἐμεῖο κασιγνήτην ἐκόμιζεν Κίρκην ἑσπερίης εἴσω χθονός, ἐκ δ' ἱκόμεσθα ἀκτὴν ἠπείρου Τυρσηνίδος, ἔνθ' ἔτι νῦν περ ναιετάει, μάλα πολλὸν ἀπόπροθι Κολχίδος αἴης.* Schol. ad v. 311 *περὶ τὴν Ἰταλίαν ᾤκησεν ἡ Κίρκη, ὅθεν ὄρος Κιρκαῖον ἀπ' αὐτῆς πολυφάρμακον. φησὶ δὲ Ἀπολλώνιος Ἡσιόδῳ ἑπόμενος ἐπὶ τοῦ ἅρματος τοῦ Ἡλίου εἰς τὴν κατὰ Τυρρηνίαν κειμένην νῆσον τὴν Κίρκην ἐλθεῖν.*

[2]) Verg. Aen. VII 280 sqq. *Absenti Aeneae currum geminosque iugales* (Latinus elegit) *semine ab aetherio, spirantes naribus ignem, illorum de gente, patri quos daedala Circe supposita de matre nothos furata creavit.*

[3]) Reprehendit ineptias eorum, qui circi appellationem a Circes nomine deduxerunt, Salmasius in Exercit. Plin. p. 904 A-B ex anonymo quodam hunc locum adhibens, quem Wuenschius optimo iure Lydo attribuit (Io. Lydi De mens I 12 p. 4, 23. Cfr ib. praef. XXXII): *ἡ γὰρ δὴ προρρηθεῖσα Κίρκη πρώτη τελεῖν ἱππικοὺς ἀγῶνας ἐν Ἰταλίᾳ προκαταρξαμένη καὶ ἱπποδρόμιον ἐκεῖσε κατεσκεύασε, τὸ μὲν μῆκος τεσσάρων σταδίων, τὸ δὲ πλάτος ἑνός.*

[4]) Wissowa in Roscheri lex. II p. 3231 sqq. Id. R. u. K. p. 194 sq.

[5]) Id. De Veneris simulacris Romanis (Ges. Abhdl.) p. 4.

postea circo destinata situm loco moveri ob religionem non potuisse atque ideo circum ei quasi circumdatum esse censeamus. Sacellum illud, quod Tertullianus loco supra allato dicit prope Consi aram stetisse, in meridionali circi parte sub Monte Aventino situm fuisse [1]) nomenque toti huic parti et metis, quae ibi erant positae, dedisse [2]) satis liquet. Descripta invenitur in anaglypho Folignano [3]) aedicula quaedam deae cuiusdam simulacro arboreque apposita ornata in ipso stadio haud longe a primis metis sita, qua sacellum Murciae significari non est incredibile [4]). Ipsa vero dea inter posteriores cum iam adeo evanuisset, ut quae esset nisi veriloquiis explicari non posset, ex Murcia in Myrteam versa pro Venere haberi coepta est [5]). Qua opinione ductus Tertullianus Murciam deam amoris appellat.

Aram Consi, quam Tertullianus libri De spect. c. V ad primas, c. VIII ad Murcias metas conditam esse ait, Becker [6]) docuit in meridionali circi parte sitam fuisse. Qui deus esset Consus et quare ara eius in terra esset condita, iam supra [7]) demonstravimus. Titulus autem, qui arae fertur inscriptus esse [8]): *Consus consilio Mars duello Lares coillo potentes*, non solum corrupta scriptura sed etiam totius sententiae pravitate debilitatus nobis traditur. Vocabulum enim *coillo,* quod ex codice Agobar-

---

[1]) Paul. p. 148 *Murciae deae sacellum erat sub monte Aventino.* Wissowa in Roscheri lex. l. s. a. Huelsen. Top. p. 113.

[2]) Varro De l. l. V 154 *intumus circus ad Murciae vocatur . . .; alii dicunt a murteto declinatum, quod ibi id fuerit; cuius vestigium manet, quod ibi est sacellum etiam nunc Murteae Veneris.*

[3]) Vid. tab. III C adi. Ann. dell' Inst. 1870 tav. LM. Baumeister, Denkm. III 2093.

[4]) Cfr Zangemeister Ann. dell' Inst. 1870 p. 245. Wissowa et Huelsen ll. s. aa.

[5]) Varro l. s. a. Serv. Ad Aen. VIII 636 *vallis . . . ipsa ubi circenses editi sunt, ideo Murcia dicta est, quia quidam vicinum montem Murcum appellatum volunt; alii, quod fanum Veneris Verticordiae* (de quo fano cfr Wissowa R. u. K. p. 236 n. 12) *ibi fuerit, circa quod nemus e murtetis fuisset, immutata littera Murciam appellatam.*

[6]) Top. p. 665 n. 1438. Aram Consi putat Zangemeister ib. p. 244 sq. in aedicula quadam sive in spina sive iuxta eam posita inclusam fuisse.

[7]) p. 17 sqq. [8]) Tert. De spect. V (I 7, 19).

dino in textum est receptum, quid sibi velit, nulla coniciendi arte explicatur [1]. Neque si pro *coillo* aut *cum illo* [2] aut *comitio* [3] substitueris, multo planior redditur sententia. Verbum autem *compito*, quod Ovidio [4] nisus proposuit Heinsius [5], ideo videtur inconcinnum, quod et singulari in numero prodit, ubi de universis Laribus omnibusque compitis agitur, et locum significat, ubi Lares colebantur, non rem, qua potentes facti erant potentiamque suam ostendebant. Verum Lares, quod cum Conso et Marte, qui messium omniumque rerum possessioni tutae quibus valebant opibus providere existimabantur [6], hoc titulo coniuncti sunt, etiam ipsos verisimile est ita nominatos esse, ut palam fieret, qua ratione potentes facti rem familiarem agricolarum maxime sustinere et augere pollerent [7]. Neque id ulla alia re magis effici contenderis, quam temperie caeli [8], id quod *caelo* in hoc titulo significatum, sed a librariis in *coelo* mutatum et in *coilo* vel *coillo* depravatum putaverim. Ac ne ita quidem res ad integrum relata est. Restat enim verbum *consilio*, quod veram quidem lectionem praebet, sed falsum reddit de Conso deo testimonium [9]. Mendum vero illud aut ignorantiae eius aetatis [10], qua insculptus erat ti-

---

[1]) Noeldechen (Z. f. wissensch. Theol. 1894, 1 p. 108 sqq.) vocabulum *coillo* ex radice *col* nescio quo modo in *coil* producta, cui syllaba *-num* suffixa esset, derivandum verbisque *Häuslichkeit*, *Anbau* explicandum falso contendit.

[2]) Quae lectio occurrit in editione Gangneiana, cuius de fide cfr Tertulliani opera I ex rec. Reifferscheidii et Wissowae praef. IX sqq.

[3]) In editione Gelenii ita proditum esse apparatus critici denotant.

[4]) Fast. II 615 sq. *fitque gravis geminosque parit, qui compita servant et vigilant nostra semper in urbe, Lares.*

[5]) Item Panvinius in Graev. Thes. IX p. 18 et Bianconi, Descr. dei Circhi 1789 p. 42.

[6]) CIL I ^{2} p. 326 ad Aug. 21. Wissowa R. u. K. p. 166 sq. 130.

[7]) Ad Lares igitur, qui dicuntur, publicos, qui agrum Romanum tuebantur, haec tituli verba referenda sunt. Id. ib. p. 150 n. 10 et 151. Id. in Roscheri lex. II p. 1870. Preller-Jordan Röm. Myth. II p. 101 sqq.

[8]) Sed cadet haec quoque coniectura, nisi quam caeli temperandi partem Laribus ab Iove per divisionem provinciarum tributam esse probaveris. Cfr Wissowa R. u. K. p. 22. 25 sq.

[9]) Aust apud Pauly-Wissowa R-E IV 1147 sq.

[10]) Cfr p. 18 sq.

tulus, aut scriptoris, qui inscriptionem memoriae prodidit, errori tribuendum est Quod qua ratione sit emendandum litterarum subsidiis destituti conicere non sumus ausi.

Deas tres Sessiam Messiam Tutulinam, quarum simulacra in circo constituta fuisse non solum Tertullianus sed etiam Plinius [1]) testatur, muneris similitudine cum Conso esse coaequandas monet cum locorum vicinitas, ubi colebantur, tum nomina quibus appellabantur. Eodem spectat ea, quam nominibus adiungit Tertullianus, interpretatio, unde satorum segetum frumentorum deas fuisse patet [2]). Sed nomina ipsa varie ab utroque, quem commemoravimus, scriptore indicantur. Quas Tertullianus Suetonium secutus [3]), Sessiam Messiam Tutulinam ait fuisse, eas Plinius auctore Hemina Seiam Segestam tertia omissa nuncupat [4]). Quae varietas unde sit exorta deliberantes, quanta omnino fuerit multitudo dearum, quae ad sata segetes messes spectabant [5]), quantaque nonnullae earum fuerint taciturnitate observatae [6]) si in memoriam revocamus, deas illas, quarum simulacra in circo stabant, minime miramur cum aliis vicinae provinciae numinibus a profanis saepe esse confusas atque in iis, unde hauserunt posterioris aetatis scriptores, fontibus aliter ab aliis appellatas. Varrone [7]) igitur auctore quoniam verisimile est Suetonium varias de dearum

---

[1]) N. h. XVIII 8 *is* (Numa) *et Fornacalia instituit farris torrendi ferias et aeque religiosas Terminis agrorum. hos enim deos tum maxime noverant, Seiamque a serendo, Segestam a segetibus appellabant, quarum simulacra in circo videmus, — tertiam ex his nominare sub tecto religio est* — . . . Ad circum certe spectat Varro De l. l. V 163, ubi de locis *Tutilinae* loquitur.

[2]) Cfr Wissowa R. u. K. p. 195. Peter in Roscheri lex. II p. 178. 204. 221 (Seia). 228. Preller-Jordan, Röm. Myth. II 223, 225.

[3]) Reifferscheid, Sueton. reliqu. p. 335 sqq. fr 188.

[4]) N. h. ib.

[5]) Macrobius (sat. I 16, 8) Semoniam *Seiam Segetiam Tutilinam,* Augustinus (De c. d. IV 8) *Segetiam Seiam Tutilinam* Proserpinam Nodutum Volutinam Patelanam Hostilinam Floram Lacturnum Matutam Runcinam commemorant. Plures invenies apud Preller-Jordan, Röm. Myth. II p. 224 sqq.

[6]) Macr. ib. *apud ueteres quoque qui nominasset . . . Semoniam Seiam Segetiam Tutilinam ferias obseruabat.* Plinius ib.

[7]) Reifferscheid, Quaest. Sueton. p. 463 sq.

illarum nominibus sententias attulisse, Tertullianum putaverim ea, quae ex pluribus elegisset, nomina plurali in numero posuisse, ut Sessiis Seiam Sessiamque, deas satorum, Messiis Segestam Messiamque, segetum et messium deas, Tutulinis frumentorum tuendorum deas, si plures erant nominatae [1]), significaret. Accedunt ad pluralis numeri usum declarandum quae viri docti de ea re disputaverunt, deas illas in circo aut singulas ternis imaginibus in eadem columna positis repraesentatas esse [2]), aut omnes in utraque spinae extrema parte isdem columnis superimpositas stetisse [3]). — Depicta comparent simulacra illa in anaglypho Maffeiano, sed ita ut singulae cuiusque deae statuae iuxta compositae sint [4]).

Ante simulacra Sessiae Messiae Tutulinae Tertullianus dicit tres aras fuisse positas, quae ad cultum trinorum deorum *Magnorum Potentium Valentium* [5]) pertinerent. Quibus sub nominibus qui dei lateant, etsi altera appellatione, quae est *dei Samothracii*, superiori adiuncta scriptor accuratius demonstrat, non facile constituemus, si quanta obscuritate apud ipsos cultores fuerit indoles eorum involuta [6]) considerabimus. Ad hanc igitur rem ex-

---

[1]) Si minus, concinnitatis causa Tutulina in plurali numero posita est.

[2]) Preller-Jordan, Röm. Myth. II p. 225 n. 4. Cum aliis numinibus statuae triplices (cfr Gerhard, Ant. Bildw. pl. XLI; Gesamm. Abhandl. pl. XXXI num. 1—3. Daremberg-Saglio I p. 761 fig. 902—904. Baumeister, Denkm. I p. 632 sq. fig. 702—705) fuerint consecratae, eandem effingendi rationem his in deabus repraesentandis usurpatam esse non infitiamur.

[3]) Cfr Zangemeister, Annali dell' Inst. 1870 p. 250 n. 1.

[4]) Vid. tab. III B. adi. Daremberg-Saglio, Dict. I p. 1191. Hanc deas illas effingendi rationem ne iis, quae supra de eadem re a viris doctis allata esse dixi, obstare praetendas, memoria tenendum est caelatores omnia singula ad rem ipsam exprimere non potuisse. De varia, qua usi sunt artifices, effingendi ratione cfr Bianconi, Descr. p. 118. — Dicit Huelsen (Top. 140) fragmentum earundem statuarum etiam in anaglypho Folignano inter Matrem magnam et ova comparere. De fragmento illo cfr Zangemeister ib. p. 253, 11.

[5]) Cfr Bloch in Roscheri lex. II p. 2522 sqq. F. Lenormant apud Daremberg-Saglio, Dict. I p. 757 sqq. (Cabiri).

[6]) Preller-Robert, Gr. Myth. I p. 847 sqq. Keil, Philologus Suppl. 2 p. 598 sqq.

planandam pauca videntur esse addenda. Deorum, qui dicebantur, magnorum originem ex Phoenicia esse petendam nomen eorum docet principale, quod erat Cabiri *(Κάβειροι)*[1]. Cabiri enim vox est simillima Phoenicum voci Kabbirim, quae idem valet atque vocabula Latina *magni potentes*[2]. Cultus eorum per nautas, quorum ad res a principio videtur spectasse, inter Graecos Aegaei maris insulas orasque habitantes vulgatus Samothracia in insula temporibus utique Alexandri Magni aetatem subsequentibus Romanisque imperantibus florebat[3]. Unde factum erat, ut Cabiri a Graecis non modo *θεοὶ μεγάλοι* vel *θεοὶ μεγάλοι δυνατοὶ ἰσχυροί (χρηστοί)*[4], sed etiam *θεοὶ Σαμοθράκιοι* appellarentur[5]. Apud Graecos quibuscum deis vernaculis sint confusi, quas subierint commutationes, quibus caerimoniis sint observati, nostrum non est persequi. Quantae fuerint tenebrae deis Samothraciis obductae, vel inde patet, quod scriptores Romani, cum de iis dissererent, tum Penatibus, tum Castoribus, tum Capitolinis deis eos aequabant[6]. Neque tamen ignoti erant Romanis, siquidem eos ut adorarent Samothraciam adire solebant[7].

Iam vero eo, unde digressi sumus, revertamur. Tres aras deis magnis potentibus valentibus in circo fuisse positas cum Tertulliano consentit Varro[8]: *tres arae sunt in circo medio ad columnas, in quibus stant signa; in una inscriptum Diis Magnis, altera Diis Potentibus, tertia Diis Terrae et Caelo. in haec duo divisus mundus. item duo initiales, unde omnia et omnes orti, et hi dii magni appellati in Samothrace.* Hunc Varronis locum, quo de ter-

---

[1]) Bloch ib. p. 2522 sq. Preller-Robert ib. p. 848.

[2]) Gesenius Mon. Phoen. p. 404 כַּבִּירִים. Vox Phoenicia illa ex radice כבר derivatur, in qua magnitudinis significatio inest.

[3]) Preller-Robert ib. p. 863.

[4]) Bloch ib. p. 2523. Daremberg-Saglio I p. 759 n. 73.

[5]) Bloch ib. p. 2535 Kythnos. Höfer in Roscheri lex. IV p. 306 sq.

[6]) Wissowa, Herm. XXII p. 29 sqq. et Ges. Abhdl. p. 95 sqq. Bloch. ib. p. 2531. Cfr Tert. Apol. VII (O. I 138): *Samothracia . . . reticentur.*

[7]) Plut. Luc. XIII Marc. XXX. Tac. ann. II 54. Kern. Athen. Mittheil. 1893 p. 374. Bloch ib. 2531. 2533.

[8]) Probus ad Verg. Ecl. VI 31.

tia ara agitur, Wissowa[1]) cum sic emendandum esse docuisset: *in tertia Diis (Valentibus. hoc est) Terrae et Caelo*, verba quae sequuntur ostendit Varronem ad suas rationes confirmandas finxisse arasque non ad deos Samothracios sed ad deas, quarum sub simulacris erant positae, referendas esse. Sed ipsius verba hic repetantur: *Es hatten doch die Altäre ohne Frage enge Beziehung zu den Gottheiten, deren Statuen auf den drei Säulen standen, und da zwar die Namen dieser Gottheiten verschieden angegeben waren (Tertull. a. a. O. Plin. n. h. XVIII 8), aber ihr Charakter als Schützerinnen von Saat und Ernte allgemein hervorgehoben wird, so erblicken wir in den Säulen und Altären Überbleibsel eines alten Kultes von Erd- und Ackerbaugottheiten im Zircusthale, der sich an die gleichartige Verehrung des Consus in derselben Gegend vortrefflich anschliesst. Die Gleichsetzung dieser dii magni potentes valentes mit den Samothrakischen Gottheiten hat Varro auf Grund der Beinamen (entsprechend den θεοὶ μεγάλοι δυνατοὶ χρηστοί) vorgenommen und, indem er die Inschriften als an Himmel und Erde, die Urheber aller Fruchtbarkeit, gerichtet auffasste, dadurch einen neuen Beweis für seine Behauptung gewonnen, dass eben diese beiden Gottheiten der Gegenstand der samothrakischen Geheimdienstes seien.* Illas aras iam antiquitus deabus satorum segetum messium esse consecratas ut est manifestum, ita nomina, quae eis erant, Magnos Potentes Valentes a Samothraciorum deorum nominibus separanda esse non crediderim. An casu accidit, ut numinibus illis, quae a principio Sessia (Seia), Messia (Segesta), Tutulina erant appellata[2]), postea inderentur nomina eis consimilia, quae Samothraciis deis erant propria?[3]) Immo vero cum essent dei Samothracii apud ipsos insulanos iis deis, qui χθόνιοι dicuntur, atque inprimis deae illi, quae Demeter appellabatur, coniuncti sive confusi[4]), consentaneum est Romanos ea ratione cognita nomina

---

[1]) Herm. XXII p. 47 et Ges. Abhdl. p. 116.

[2]) Inter deos indigetes esse referendas Seiam, Segetiam, Tutilinam docet Peter in Roscheri lex. II p. 146.

[3]) Cfr p. 62 n. 4.

[4]) Bloch in Roscheri lex. II p. 2526. Preller-Robert, Gr. Myth. p. 851. Daremberg-Saglio I p. 761.

Magnorum Potentium Valentium ex deis Samothraciis, qui inde a bello Punico secundo inter eos magna valebant auctoritate [1], propter muneris similitudinem in illas deas transtulisse, quarum iam apud eos nomina principalia evanuerant.

Inter alia spinae, quae dicitur, ornamenta simulacrum *Matris deum magnae Idaeae* a Tertulliano exhibetur: *ea . . . illic praesidet euripo.* Simulacrum illud in anaglyphis et Maffeiano [2]) et Folignano [3]) ab obelisco ad portam triumphalem versus positum conspicitur. In utroque dea leoni currenti insidens magno impetu fertur. Haec Matris Idaeae imago, quae apud Orientis gentes erat inventa [4]), a Graecis non solum sculptoribus [5]) monetariis [6]) caelatoribus [7]), sed etiam pictoribus [8]) saepenumero efficta est. Apud Romanos idem imaginum genus, cum ex artificiis

---

[1]) Cfr p. 62 n. 7. Daremberg-Saglio, Dict. I p. 765.

[2]) Vid. tab. III B. Ann. dell' Inst. 1839 pl. IV 2.

[3]) Vid. tab. III C. Ann. dell' Inst. 1870 tav. d'agg. LM.

[4]) Ed. Meyer in Roscheri lex. I 653. 1191. (Dolichenus). De Vogüe, Mél. d'arch. orient. 45 sq.: La grande déesse syrienne de Hiérapolis, la déesse phrygienne des bas-reliefs de Yazikeui, la Rhéa Cybèle, mère des dieux, Vénus-Uranie de Phrygie et d'Asie Mineure, la Tanit ou Artémis céleste de Car thage, la Iunon que Diodore associe à Iupiter-Baal dans le temple de Bel à Babylone, l'Atergatis syrienné, l'Anaïtis des cylindres assyro-chaldéens: toutes ces divinités ont pour charactéristique d'être portées par le lion. Id. ib. p. 47 exprimendum curavit nummum litteris phoeniciis designatum, cuius in aversa parte imago feminae leoni insidentis conspicua est. Cfr Rapp in Roscheri lex. II 1645.

[5]) In bello giganteo, quod in ara magna Pergamena temploque Minervae Prienaeo propositum erat, Magna Mater in leone sedens pugnae interesse fingebatur. Jahrb. d. arch. Inst. 1886, I 63. Mittheil. d. Inst. in Ath. 1877, II 329 nr. 47. Rapp in Roscheri lex. II 1647. Overbeck, Gesch. d. gr. Plastik II [4] 405, fig. 217 g. Baumeister, Denkm. II p. 1267.

[6]) In nummis ex electro metallico cusis. Cfr Greenwell, The Elektrum Coinage of Cyzicus (The Numism. Chronicle 1887) p. 77 sq. nr. 55, pl. III 4.

[7]) Drexler in Roscheri lex. II 2908: Aus den von Karapanos zu Dodona veranstalteten Ausgrabungen stammt das Bruchstück eines Bronzegefässes vom besten grichischen Styl, darstellend Kybele auf einem Löwen reitend.

[8]) Plinius N. h. XXXV 108 sq. *Nicomachus Aristiaci filius ac discipulus . . . pinxit . . . deum matrem in leone sedentem.*

Pergamenis innotuisset [1]), signis [2]) effictum et in nummis gemmisque [3]) caelatum est. In circo quando locum obtinuerit simulacrum illud, utrum iam tum, cum ludi Megalenses circensibus aucti sunt, an posteriore demum aetate, non liquet. Libera tamen re publica, cum ex imaginibus eae, quibus Mater magna aut in curru leonibus vecto [4]) aut in solio leonibus appositis [5]) sedens repraesentatur, ad nummos, qui ad ludos Megalenses spectabant, exornandos electae sint, simulacrum illud, quod deam in leone sedentem ostendit, in circo positum fuisse non est credibile. Namque si iam tum ibi apparuisset, aptius quam ullum aliud simulacrum fuisset, quod et ludorum Megalensium in circo datorum et ipsius deae servaret memoriam. Imperatorum tandem aetate videtur illud Matris magnae simulacrum, quale in anaglyphis Maffeino et Folignano [6]) comparet, locum obtinuisse in circo [7]). Ad illud enim simulacrum nummos clipeaque eadem aetate signata [8]), in quibus effigies Matris Idaeae leoni insidentis conspi-

[1]) Rapp in Roscheri lex. II 1647.

[2]) Clarac, Musée de sculpture, tom. III p. 10, pl. 396, 664 A. Matz und Duhn Ant. Bildw. I p. 241 nr. 902.

[3]) Drexler ib. II 2312 sq. Zoega, Li Bassirilievi p. 49 et n. 43. Müller-Wiesel. Denkm. d. alt. Kunst II pl. LXIII t. 808.

[4]) Mommsen, Gesch. d. röm. Münzw. 259 e.

[5]) Hoc vetustissimum genus (Rapp. ib. II 1644) simulacrorum, quibus Mater Idaea repraesentata erat, ante templum eius Palatinum erat positum (Huelsen Top. p. 53 sq.). Mommsen ib. 261 a. Cfr id. ib. 437. Röm. Mitt. 4 (1889) p. 310. Tav. X b.

[6]) Omnes circi imagines, in quibus Mater magna conspicitur, enumeravit Huebner, Ann. dell' Inst. 1863 p. 161. Cfr Zangem. ib. 1870 p. 252, 8.

[7]) Zoega ib. putat simulacrum Matris magnae posteriore tandem aetate in circo positum esse.

[8]) Effigiem illam ostendunt: clipeum aetate *Neronis* excusum (Huebn. ib. p. 146 δ), clipea aenea, aetatis *Hadriani* (Romae cusum, Drexler in Roscheri lex. II 2912), *Antonini Pii* (tria Romae cusa id. ib.); nummus eiusdem aetatis (in Thracia cusus ib. 2905); nummi *M. Aurelii* aetatis (cusus in Mysia ib. 2858, cusus in Phrygia ib. 2876, in Moesia ib. 2902, in Thracia ib. 2905), *L. Veri* (cusus in Phrygia ib. 2876, in Moesia ib. 2902); clipeum eiusdem aetatis (Romae cusum ib. 2913); nummi *Commodi* aetatis (cusus in Mysia ib. 2857, in Troade ib. 2859, in Thracia ib. 2904, Romae ib. 2913), *Septimii* (cusus in

citur, si non omnia, at tamen ea, quae Romae erant excusa, referenda esse putaverim.

Ac ne ova quidem neque delphini[1]), quibus quot curricula intra quemque missum restarent ita significabatur, ut per singula spatia, quae erant confecta, singula ova deriperentur et singuli delphini converterentur[2]), a Tertulliano sunt omissi. Quorum quae fuerit forma et exstructio, optime ex imaginibus patet. In opere musivo Barcinone reperto[3]), ubi circi imago ficta est, duo epistylia, alterum ab dextro obelisci latere, alterum prope metas sinistras, columnis supposita comparent, quorum super illo septem ova iacentia, super hoc tres delphini aquam exspuentes conspiciuntur. Similes fere apparatus ceteris in imaginibus conspicui sunt[4]). Haec ornamenta iis cum numinibus, quae Tertullianus commemorat, cur sint conexa, facile perspicias, si notam illam fabulam, quae Castorum narrat originem ab ovo ductam esse, memineris[5]) neque delphinos Neptuno sacros fuisse praeter-

---

Troade ib. 2859, in Galatia ib. 2892, in Epiro ib. 2907, cusi in Moesia tres ib. 2902 sq. in Thracia duo ib. 2904, 2906), *Caracallae* (cusi in Thracia duo ib. 2905. 2906, cusus in Moesia ib. 2903, in Epiro ib. 2907), *Macrini* (cusi in Moesia duo ib. 2903), *Heliogabali* (cusus in Moesia ib. 2903, in Epiro ib. 2907), *Alexandri* (cusus Sidone ib. 2900), *Gordiani Pii* (cusus in Phrygia ib. 2876, in Moesia ib. 2902), *Treboniani Galli* (cusus in Epiro ib. 2907), *Volusieni* (cusus in Pisidia ib. 2891), *Valeriani sen.* (cusus in Phrygia ib. 2884), *Gallieni* (cusi in Phrygia duo ib. 2873, 2884, in Epiro duo ib. 2907, 2908).

[1]) Cfr Huebner, Ann. dell' Inst. 1863 p. 154 sqq. Zangemeister, ib. 1870 p. 254. Pollack apud Pauly-Wissowa R-E IV 2510 sq. Bianconi, Descr. p. 73. Graevius, Thes. ant. Rom. IX p. 2 et 634.

[2]) Cass. Dio XLIX 43, 2 *κἀν τῷ ἱπποδρόμῳ σφαλλομένους τοὺς ἀνθρώπους περὶ τὸν τῶν διαύλων ἀριθμὸν ὁρᾶν* (sc. *ὁ Ἀγρίππας*), *τούς τε δελφῖνας καὶ τὰ ᾠοειδῆ δημιουργήματα κατεστήσατο, ὅπως δι' αὐτῶν αἱ περίοδοι τῶν περιδρόμων ἀναδεικνύωνται.* Non posita sed refecta ab Agrippa fuisse ovaria docent Pollack l. s. a. et Huelsen Top. 123 n. 34.

[3]) Vid. tab. III D. Ann. d. Inst. 1863 tav. d'agg. D.

[4]) Vid. tab. III B C. — In circis aquae qui fuerit usus docet Huebner Ann. dell' Inst. 1863 p. 157.

[5]) Fabula illa aliter ab aliis traditur. Hygin. 77 p. 80 Schmidt *Iupiter Ledam Thestii filiam in cygnum conversus ad flumen Eurotam comdressit et ex eo peperit Pollucem et Helenam; ex Tyndareo autem Castorem et Clytemnestram.* Schol. ad Lycophr. 88 sq., ubi de Helena agitur: *τόργος δὲ κυρίως ὁ*

mittas [1]. Castores autem ideo, quod magnam omnibus in ludis exercendis haberent vim et auctoritatem [2], Neptunumque Conso aequatum, quod plurimum valeret ad ludos circenses edendos [3], inter numina, ut ita dicam, circensia receptos esse nescio an commonendum sit. Delphini praeterea magnam ob velocitatem, qua iam apud veteres noti erant [4], ad studium inter aurigas excitandum idonei erant, qui in circo ponerentur.

Reliquae circi partes, de quibus apud Tertullianum fit mentio, metae [5] et euripus [6] sunt. Metae in imaginibus ternae fuisse columnae videntur [7], quas scriptores principio ligneas, post ex aere factas auratasque fuisse dicunt [8], ad utramque spinae partem extremam positae, quarum eae, quas vel Murcias vel primas appellat Tertullianus, in meridionali circi parte eminebant [9].

γύψ, νῦν δὲ τὸν κύκνον λέγει, ὃν μιμησάμενος ὁ Ζεὺς συνεμίγη τῇ Λήδῃ, ἀφ' ἧς ἡ Ἑλένη . . . διὰ τὴν ἱστορίαν, ὅτι ἐκ ζῴου ἐγεννῶντο ἥ τε Ἑλένη καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτῆς. Hor. sat. II, 1 26 sq. *Castor gaudet equis, ovo prognatus eodem pugnis.* Id. De a. p. 147 *nec gemino bellum Troianum orditur ab ovo.* Auson. Epigr. 66 Pei. *Istos tergemino nasci quos cernis ab ouo, Patribus ambiguis et matribus adsere natos. Hos genuit Nemesis, sed Leda puerpura fouit; Tyndareus pater his et Iuppiter: hic putat, hic scit.* Preller, Gr. Myth. II³ p. 93. Bethe apud Pauly-Wissowa R-E V 1113.

1) Wagner apud Pauly-Wissowa R-E IV 2508 sq. Delphini Soli quoque sacrati esse dicuntur. Cfr Rev. Archéol. T. XIV (1909) p. 94 sqq.

2) Preller-Jordan R. Myth. II p. 304.

3) Id. ib. 124. Aust apud Pauly-Wissowa R-E IV 1147 (Consus).

4) Plin. N. h. IX 20 *Velocissimum omnium animalium, non solum marinorum, est delphinus ocior volucre, acrior telo, ac nisi multum infra rostrum os illi foret medio paene in ventre, nullus piscium celeritatem eius evaderet.*

5) J.-L. Pascal apud Daremberg-Saglio Dict. I 1190.

6) Pollack apud Pauly-Wissowa R-E VI 1284 sq.

7) Vid. tab. III B C D.

8) Suet. Claud. 21, 3 *Circo uero maximo marmoreis carceribus auratisque metis, quae utraque et tofina ac lignea antea fuerant, exculto propria senatoribus constituit loca promiscue spectare solitis.*

9) J.-L. Pascal apud Daremberg-Saglio, Dict. 1190: On appelait *meta prima* celle qui était la plus rapprochée de l'extrémité circulaire, parce que c'était celle autour de laquelle les chars devaient tourner en premier; la *meta secunda* se trouvait donc à l'autre extrémité, du côté des remises. Cfr Huelsen Top. 113 n. 5.

Per synecdochen metas posuit [1]) Tertullianus pro circo: *tu mihi metas . . . suspiras,* per metaphoram adhibuit [2]): *metas consummationis* (hoc est: ad quas consummatio omnium rerum fiet) *expecta* [3]). Euripi nomen, quo primo fossa circum arenam ducta [4]) significabatur, repleta posteriore tempore fossa in spinam vel aliquam spinae partem, quae magnis erat labris ornata, transisse et ex aliis [5]) et ex Tertullianeis [6]) locis satis apparet.

Testimonium vero idololatriae, qua conspurcatum sit theatrum, Tertullianus ex Pompei theatro quaerit [7]), quo planius ostendat ludorum scaenicorum locum, quod plenus esset vitiorum, ob id ipsum in sacrarium Veneris mutatum esse. Hanc rem ita digerit [8]): *a loci uitio theatrum proprie sacrarium Veneris est. hoc denique modo id genus operis in saeculo euasit. nam saepe censores nascentia cum maxime theatra destruebant moribus consulentes, quorum scilicet periculum ingens de lasciuia prouidebant . . . itaque Pompeius Magnus solo theatro suo minor cum illam arcem omnium turpitudinum extruxisset, ueritus quandoque memoriae suae censoriam animaduersionem Veneris aedem superposuit et ad dedicationem edicto populum uocans non theatrum, sed Veneris templum nuncupauit, cui subiecimus, inquit, gradus spectaculorum.* Num quando theatra Romae exstrui incepta censores prohibuerint, quominus conficerentur, parum liquet. Illud quidem traditum est, theatrum, quod Cassius censor aedificandum collocaverat, ex senatus consulto auctore Scipione Nasica consule destructum esse [9]). Neque

---

[1]) De spect. XXVIII (I 27, 12). [2]) Ib. XXIX (I 28, 2).

[3]) Hoppe, Syntax u. Stil des Tert. p. 212.

[4]) Pollack l. s. a. Huelsen Top. p. 122.

[5]) Cassiod. var. III 51, 8 *Euripus maris vitrei reddit imaginem, unde illuc delphini aequorei aquas influunt.*

[6]) Adv. Hermog. XXXI (III 160, 6) *statuae super euripum.* De euripo, cuius Tertullianus meminit De bapt. V (I 205, 20), cfr Sen. epist. 90, 15.

[7]) Huelsen Top. 524 sqq. Becker Top. 675 sqq.

[8]) De spect. X (I 12, 5).

[9]) Vell. I 15, 3 *Auximum autem in Picenum* (missi sunt coloni) *abhinc annos ferme centum octoginta quinque, ante triennium quam Cassius censor a Lupercali in Palatium versus theatrum facere instituit, cui in eo moliendo eximia civitatis severitas et consul* Scipio *restitere.* Val. Max. II 4, 2 *Quae in-*

centum annis post cum primum Pompeius exaedificaret theatrum lapideum Romae defuisse, qui id vituperarent, testis est Tacitus [1]). Templum, quod intra theatrum operis expiandi causa Pompeius condidit, in summa cavea positum Venerique Victrici consecratum esse litterarum testimonio [2]) et titulo prope theatrum reperto [3]) comprobatur [4]). Liberum Tertullianus Veneri adiungit socium, quo maiorem idololatriae vim inesse in theatro demonstret [5]): *sed Veneri et Libero conuenit* (theatrum). *duo ista daemonia conspirata et coniurata inter se sunt ebrietatis et libidinis. itaque theatrum Veneris Liberi quoque domus est.* Cum vero nulla inter Venerem Liberumque apud Romanos fuerit societas [6]), eam videtur Tertullianus sensum suum secutus ad suas rationes confirmandas finxisse exemploque e Graecis sumpto, quo Liberum in theatris observari argueret, fulsisse [7]): *nam et alios ludos scaenicos Liberalia proprie uocabant, praeterquam Liberi deuotos, quae sunt Dionysia penes Graecos, etiam a Libero institutos.* Ferias quidem

choata quidem sunt a Messala et Cassio censoribus. ceterum auctore P. Scipione Nasica omnem apparatum operis eorum subiectum hastae uenire placuit, atque etiam senatus consulto cautum est ne quis in urbe propiusue passus mille subsellia posuisse sedensue ludos spectare uellet. Tert. Apol. VI (O. I 133) (leges) *theatra stuprandis moribus orientia statim destruebant.* Liv. epit. XLVIII. Appian. Civ. I 28. Augustin. De c. d. I 32. Becker, Top. 675 n. 1471.

[1]) Ann. XIV 20 *Quippe erant, qui Cnaeum quoque Pompeium incusatum a senioribus ferrent, quod mansuram theatri sedem posuisset. nam antea subitariis gradibus et scaena in tempus structa ludos edi solitos, vel si vetustiora repetas, stantem populum spectavisse, ne, si consideret theatro, dies totos ignavia continuaret.*

[2]) Plin. N. h. VIII 20 *Pompei quoque altero consulatu, dedicatione templi Veneris Victricis, viginti pugnavere in circo.* Gellius N. A. X 1, 7 *cum Pompeius . . . aedem Victoriae dedicaturus foret, cuius gradus vicem theatri essent . . ., quaeri coeptum est.* Cfr Wissowa, Ges. Abhdl. p. 24.

[3]) CIL VI 785.

[4]) Cfr Becker Top. 676. Huelsen Top. 525 sq. Wissowa ib.

[5]) De spect. X (I 12, 19).

[6]) Ne in titulis quidem, nisi in uno Africano (CIL VIII Suppl. 15578) coniuncti commemorantur: *in templo Liberi patris et Veneris;* de quo Wissowa (Rosch. Lex. II 2029 Libera) haec: wo vielleicht Venus für Libera eingetreten ist.

[7]) De spect. X (I 12, 21).

Dionyso sacras, quarum nomen Graecum *Διονύσια*[1]) latina voce *Liberalibus* transferri solebat[2]), unde confusio Graecorum illorum et horum Romanorum ludorum saepe facta erat, scaenicis constat ludis celebratas esse. Dionysusque ipse non ita raro cum Musis (*Μουσαγέτης*) et poëtis componitur[3]). Sed cum vera Liberalia, quae Liberi dei erant propria, in theatro numquam celebrarentur, quinam fuerunt scaenici illi ludi, quos Libero devotos fuisse dicit Tertullianus? Hanc quaestionem persolvit Wissowa in Roscheri lexico (II 2024), ubi Ceriales, ludos posteriore aetate maximam partem scaenicos[4]), non solum ad Cererem, sed etiam ad Liberum Liberamque vulgo relata esse ostendit[5]).

De amphitheatro, ubi ineunte demum aetate imperatoria munera venationesque Romae dari coepta sunt[6]), cum commemorat Tertullianus, nihil adfert, quod ad eius situm exstructionem ornamenta pertineat[7]): *quid ego*, inquit, *de horrendo loco perorem, quem nec periuria sustinent? pluribus enim et asperioribus nominibus amphitheatrum consecratur quam Capitolium: omnium daemonum templum est. tot illic immundi spiritus considunt, quot homines capit.* Ad hunc locum interpretandum quamquam multa iam contulerunt viri docti[8]), pauca tamen velim adicere. De circo

---

[1]) Voigt in Roscheri lex. I 1071 sqq. Kern apud Pauly-Wissowa R-E V 1021 sqq.

[2]) Wissowa in Rosch. lex. II 2024. Marqu. Staatsverw. III² 363 n. 1.

[3]) Preller-Robert, Gr. Myth. I p. 710 sq. et 711 n. 1.

[4]) Marquardt ib. Ritschl, Parerga p. 287 sqq.

[5]) Cic. Verr. V 36 *ludos sanctissimos maxima cum cura et caerimonia Cereri Libero Liberaeque faciundos.* Serv. ad Georg. I 7 *ideo simul Liberum et Cererem posuit, quia et templa eis simul posita sunt et ludi simul eduntur.* Plures loci adferuntur in Roscheri lex. II 2024.

[6]) Primum amphitheatrum Romae condidit Statilius Taurus a. ante Chr. 29. De amphitheatris Curionis et Caesaris ambigitur. Cfr Meier apud Pauly-Wissowa R-E I 1960. Huelsen, Top. p. 496 sq. Baumeister, Denkm. I p. 70.

[7]) De spect. XII (I 15, 8).

[8]) Omnium maxime nobis arridebat interpretatio Oehleri, qui locum ita (Tertulliani quae supersunt omnia. T. I p. 42) explicavit: *existimamus Tertulliani mentem esse, tantam daemonum vim in amphitheatro considere, ut ne periuri quidem, qui deos omnes coacervare solent, eorum nomina teneant atque adeo complecti possint.* Ea tamen interpretatio, cum neque rectam verbi *su-*

et theatro cum dissereret Tertullianus, aediculas, statuas, aras, ornamenta, res denique, quae idololatriae testimonia praeberent, perquisivit omnes. Cum amphitheatrum esset descripturus, consentaneum est eum de monumentis ibi positis cogitasse. Sed magnam statuarum multitudinem, quibus ornatum erat amphitheatrum Flavium [1]), intuentes minime miramur, si Tertullianus eas recensere et perorare supersedit atque enuntiatis per gradationem sequentibus tribus id tantum firmasse satis habuit, permulta esse nomina, quibus amphitheatrum esset consecratum. Eodem tamen tenore, quo de periuriis loquitur, cum dicit numina illa non solum plura sed etiam asperiora esse quam deos Capitolinos [2]), quid habuerit in animo satis apparet, si locos adhibemus haud paucos, ubi de iureiurando per Caesarum genios dato meminit. Quae cum res esset eiusmodi, ut ad salutem Christianorum pertineret, fieri non potuit, quin eam Tertullianus per omnem occasionem attingeret. Namque ex locis illis patet id Christianis crimini versum esse, quod per genios Caesarum non iurarent [3]). Quare Tertullianus, ut eius criminis aciem obtunderet,

stinendi vim teneat, neque causam, cur adiectivum *asperioribus* hic sit usitatum, declaret, minus probabilis nobis videtur. Quae attulit Noeldechen (Zeitschr. f. Kirchengesch. XV 2 p. 196 sqq.), ut vocem *periuria* ita accipiendam esse ostenderet, quasi gladiatores et venatores significaret, magis ex ingenii eius celeritate quam ex scriptoris verbis sententiaque profecta esse crediderim.

[1]) Amphitheatrum Flavium multis statuis ornatum fuisse dicit Thierry apud Daremberg-Saglio, Dict. I p. 243: . . . chacune de ses dernières (les parties des couloirs et des escaliers) avait un parapet au milieu duquel était un piédestal surmonté de statues. Les arrachements confirment les inductions qu'on peu tirer des médailles frappées sous Titus (Cohen Monn. I pl. XVI n. 184 Titus) et sous Domitien, sur lesquelles on voit des statues ornant le milieu des arcades. Item in vicinitate amphitheatri Carthaginiensis plura sunt reperta monumenta, Bacchi, Castorum, Dianae, Herculis, Victoriarum basisque, ubi titulus in honorem Valentis (CIL VIII 12527) erat inscriptus (Audollent, Carthage Romaine p. 304).

[2]) De magno deorum Capitolinorum numero cfr Wissowa R. u. K. p. 113.

[3]) Apol. XXXII (O. I 236) *Sed et iuramus, sicut non per genios Caesarum, ita per salutem eorum, quae est augustior omnibus geniis.* Ad nat. I 17 (I 88, 25) *prima obstinatio est . . ., quod inreligiosi dicamur in Caesares, neque imagines eorum ture propitiando neque genios deierando.* Ad Scap. II (O. I 541) *Sic et circa maiestatem imperatoris infamamur, tamen numquam Albi-*

saepe monuit quam indignum deis ipsis esset iusiurandum per eos datum minoris haberi quam iusiurandum per Caesarum genios oblatum [1]). Nam qui per deos peieraverint constat impunitos evasisse; Caesaris per genium datum iusiurandum si non servaverint, laesae maiestatis crimine se obstrinxisse [2]). Amphitheatrum igitur, ubi inter alia monumenta statuae Caesarum positae erant [3]), monet Tertullianus prae ceteris ludorum locis ideo esse horrendum, quod eorum, qui ibi consederint, daemonum [4]) vim ne periuri quidem, licet alios deos neglegere soleant, laesam sustinere possint.

Stadium quale esset aedificium [5]) Tertullianus non accuratius quam amphitheatrum descripsit [6]): *ut de loco suppleam, . . .*

---

niani nec Nigriani vel Cassiani inveniri potuerunt Christiani, sed idem ipsi qui per genios eorum in pridie usque iuraverant, . . . hostes eorum sunt reperti. Apol. XXXIII (O. I 238), XXXV (O. I 246 sq.).

[1]) Apol. XXVIII (O. I 228) *maiore formidine et callidiore timiditate Caesarem observatis quam ipsum de Olympo Iovem . . . Citius denique apud vos per omnes deos quam per unum genium Caesaris peieratur.* Ad nat. I 10 (I 78, 6) *immo iam per deos deierandi periculum euanuit, potiore habita religione per Caesarem deierandi, quod et ipsum ad offuscationem pertinet deorum uestrorum; facilius enim per Caesarem peierantes punirentur quam per ullum Iouem.* Cfr Ad nat. II 7 (I 106, 13 sqq.). De Idol XX (I 54, 22).

[2]) Ulpian. Dig. 12, 2, 13, 6 *si quis iuraverit in re pecuniaria per genium principis dare se non oportere et peieraverit vel dari sibi oportere, vel intra certum tempus iuraverit se soluturum nec solvit: imperator noster cum patre rescripsit fustibus eum castigandum dimitt[i deb]ere et ita ei superdici: προπετῶς μὴ ὄμνυε.* Mommsen, Staats. II³ p. 809 sq. Id. Röm. Strafr. p. 586 e. Wissowa, ib. p. 325 sq. De iureiurando cfr Graev. Thes. V p. 823 sqq.

[3]) Statua cum fuerit in amphitheatro Flavio dedicata Carino (CIL VI 1115), itemque Valenti in amphitheatro Carthaginiensi (cfr p. 71 n. 1), vix est dubium, quin plura signa principum, in primis eorum, quorum nomina cum aedificio ipso aut condendo aut reficiendo erant coniuncta, Vespasiani, Titi, Domitiani, Nervae, Antonini dico, iam Tertullianea aetate in amphitheatro illo maximo Romano posita sint.

[4]) Apol. XXXII (O. I 237) Tertullianus genios dicit esse daemonas: *Nescitis genios daemonas dici et inde diminutiva voce daemonia?*

[5]) Maximum Romae erat stadium Domitiani, de quo cfr Huelsen Top. p. 592 sqq.

[6]) De spect. XI (I 14, 2).

in stadio circum aemulantur, quod utique templum est et ipsum eius idoli, cuius sollemnitates agit. Quibus vero deis fuerint dedicati agones [1]) locusque, ubi fiebant, initio eiusdem capitis indicat: *origo istis* (agonibus) *de ludorum propinquitate est. inde et ipsi sacri uel funebres instituti aut deis nationum aut mortuis fiunt* [2]). *perinde tituli: Olympia Ioui, quae sunt Romae Capitolina, item Herculi Nemea, Neptuno Isthmia, ceteri mortuorum uarii agones.* Mortuorum memoriam sicuti muneribus apud Romanos, ita agonibus apud Graecos honoratam esse satis constat [3]). Sacros item agones certis temporibus recurrentes, qui multa per saecula isdem fere locis committebantur [4]), iam principum aetate toto passim imperio isdem sub nominibus exhibitos fuisse testantur nummi et tituli. Novosque agones vel ab imperatoribus vel in eorum honorem a civitatibus fuisse institutos, ita tamen ut ad exemplum veterum fierent, ex isdem titulis nummisque et ex litteris cognovimus [5]). Unde factum erat, ut novi cum veteribus eadem coniungerentur appellatione, velut agones Capitolini, quos Domitianus a. LXXXVI instituit [6]), cum Olympiis non solum a Tertulliano, sed etiam in titulis comparantur [7]). Sed Nemea Tertullianus ut Herculi attribueret, inde effectum esse putamus, quod

---

[1]) De agonibus universis disseruerunt Reisch et Meier apud Pauly-Wissowa R-E I 836—867, Saglio apud Daremberg-Saglio I 2 p. 1080 sqq. (Certamina), de Romanis Friedlaender, Sitteng. II [8] 483—504, de Graecis J. H. Krause, Die Gymnastik u. Agonistik der Hellenen. (I) Olympia 1838. II Die Pythien, Nemeen u. Isthmien 1841. E. Norman Gardiner, Greek athletic sports and Festivals 1910. Indicem litterarum apud Reischium (p. 865 sq.) et Gardinerum (p. 511 sqq.) invenies.

[2]) Tert. de cor. XIII (O. I 451) *Numquid et agonisticae causae disputabuntur, quas statim tituli sui damnant, et sacras et funebres scilicet?*

[3]) Cfr Krause ib. II p. 9. Gardiner ib. p. 27. 30. Reisch ib. p. 841. The Athenaeum 1911 nr. 4349 p. 249.

[4]) Nemea quarto a. Chr. n. saeculo Argos erant translata (Gardiner ib. p. 224. Krause ib. II 108. 110).

[5]) Meier ib. 860. De Isthmiis alienis locis celebratis nulla Meier dedit testimonia, neque multa Krause ib. II 207 sq.

[6]) Friedlaender, Sitteng. II [8] p. 487 sqq.

[7]) Lierman, Analecta epigraphica et agonistica (Dissert. philol. Halenses V. X) p. 89, 28 Ῥώμην Καπετώλεια Ὀλύμπια.

Herculem, qui ea traditur instituisse, et Iovem, cui dedicata erant, inter se confudit [1]). Pythia vero ex indice agonum veterum omissa esse, eo magis mirum videtur, quod gratia antiquissimis temporibus non minore, imperatoria aetate etiam maiore valebant [2]), quam Isthmia, quae in indicem recepta sunt [3]). Quare cum Suetonium, quem auctorem fuisse Tertulliani docuit Reifferscheidius [4]), non sit cur credamus aut Pythia praetermisisse aut Nemea Herculi attribuisse, Tertullianus suo ipse fonte videtur non satis diligenter usus esse.

De singulis etiam spectaculorum partibus, quae apud Tertullianum attinguntur, pauca exponemus. Materiem ad investigandum dederunt loci, qui hic repetantur: *nam* [5]) *apud spectacula et in cathedra sedetur et in uia statur; uias enim et cardines uocant balteorum per ambitum et discrimina popularium per procliuum; cathedra quoque nominatur ipse in anfractu ad consessum situs*; *numquid* [6]) *ergo et extra limites circi furori studemus et extra cardines theatri impudicitiae intendimus et insolentiae extra stadium et immisericordiae extra amphitheatrum, quoniam deus etiam extra cameras et gradus et apulias oculos habet.* De cathedris viisque spectaculorum mentionem iniecit Tertullianus, ut christianis ludorum cupidis, qui ab eo petierant, ut sibi ex sacris scripturis eiusmodi demonstraret locum, ubi spectacula adire vetarentur, cum primo ex psalmo haec adhibuisset: *felix uir, qui non abiit in consilium impiorum et in uia peccatorum non stetit nec in cathedra pestium sedit*, ut ostenderet huius loci verba singula quam accurate possent ad spectacula transferri.

---

[1]) Gardiner, ib. p. 66. Krause ib. II 116. — Item Tertullianus De cor. XIII (O. I 452) et Nemaeum Herculem et Archemorum adfert, quorum in honorem ludos (sc. Nemea) datos esse dicit.

[2]) Krause ib. 53 sqq.

[3]) Id. ib. p. 208 sq.: Vergleichen wir mit diesen wenigen kleineren Nemeen und Isthmien die grosse Anzahl der kleineren Olympien und Pythien, so muss auch hieraus einleuchten, dass die grossen Nemeen und Isthmien bei aller Frequenz und grossem Glanze doch den grossen Olympien und Pythien bei weitem nachstanden. Cfr p. 73 n. 5.

[4]) Suetoni rel. p. 342. [5]) De spect. III (I 5, 14).

[6]) Ib. XX (I 21, 17).

C a t h e d r a e appellabantur sedilia summa in spectaculi cavea posita, ubi feminae inter ludos sedere solebant [1]). Namque iis, ne in theatro neve in amphitheatro una cum viris considerent, Augustus interdixerat [2]). Anfractu, ubi dicit Tertullianus cathedras fuisse positas, quid aliud significet nisi confinium summae caveae partis, ubi cathedrae sub tecto erant collocatae [3]), et inferioris, ubi graduum ordines alii aliis decliviores extendebantur. Ibi enim devexitas caveae incipere videbatur.

V i a e, quae dicuntur, spectaculorum duo in genera dividebantur; quarum alterae sub balteis vel inter maeniana ductae ambitum spectatoribus totam per caveam praebebant, alterae transversae occasionem dabant sursum deorsum eundi. Singulis in theatri et amphitheatri maenianis eae, quae itineribus his continebantur, partes cunei sunt appellati. Honoris tribuendi pacisque inter spectatores sustinendae causa loca in theatris ita distributa erant, ut senatores orchestram, equites XIV proxima subsellia, reliqua tertius, qui dicitur, ordo obtineret [4]). Loci harenae proximi in ceteris quoque spectaculis non dubium est quin senatoribus, medii equitibus, remotissimi plebi attributi fuerint [5]). Sed Tertullianus, quod vias, quae cuneos a lateribus finiebant, discrimina appellat popularium, intra regionem, quae universae plebi erat distributa, singulis demonstrat plebis partibus suos cuique locos fuisse distributos. Quocum congruit quod primus

---

[1]) Calpurn. ecl. VII 25 sqq. *emensique gradus et clivos lene iacentes venimus ad sedes, ubi pulla sordida veste inter femineas spectabat turba cathedras. Nam quaecunque patent sub aperto libera caelo, aut eques aut nivei loca densavere tribuni.* Ovid. Amor. II 7, 3 sq.

[2]) Suet. Aug. 44, 3 *Maritis e plebe proprios ordines assignauit . . . feminis ne gladiatores quidem, quos promiscue spectari sollemne olim erat, nisi ex superiore loco spectare concessit.* Friedl. Sitteng. I [3] p. 489 sq. Id. apud Marqu. Staatsverw. III [2] p. 535 n. 3. Cfr Huebner, Ann. d. Inst. 1856 p. 61.

[3]) Mau, Pompeji p. 201. 203.

[4]) Friedl. apud Marqu. ib. p. 534 sqq. Huebner, ib. p. 58 sqq. De loco, qui flaminicae in spectaculis erat datus, Tertullianus videtur cogitare De exhort. cast. XIII (O. I 755) *Item, ut in quibusdam sollemnibus et officiis, prior sit univirae locus. Certe Flaminica non nisi univira est.*

[5]) Friedl. ib. p. 507. 557 sq. Huebner, ib. p. 60.

Salmasius [1]) tum ceteri docuerunt, populum in theatro sicuti Athenis κατὰ φυλάς, ita Romae tributim, in oppidisque, ubi curiae valebant, curiatim dispositum fuisse [2]); idem illi in circo Romano plebem primo curiatim, deinde tributim divisam fuisse ostenderunt [3]).

Viae autem, quae maeniana aliud ab alio separabant, cur in theatris cardines balteorum sive cardines (theatri), in circis limites (circi) sint appellati, iam videamus. Utramque appellationem ex rebus gromaticis esse sumptam, nemo est qui ignoret. Sed earum quae esset significatio gromatici ipsi aliter alii interpretabantur [4]). Qua discrepantia nihil docemur nisi ipsam gromaticam rationem aliter aliis locis, aliis temporibus ad metiendi usum esse translatam. Cardines limitesque decumanos, qui primo ad caeli regiones, illi a meridiano ad septentrionem, hi ab oriente ad occasum solis erant directi, posteriore aetate, prout natura et figura dimetiendi soli postulabat, in quamlibet regiónem ductos fuisse dicit Hyginus (p. 170): *et quidam ne proximarum coloniarum limitibus ordinatos limites mitterent, relicta caeli ratione mensuram constituerunt, qua tantum modus centuriarum et limitum longitudo constaret. quidam agri longitudinem secuti: et qua longior erat, fecerunt decimanum.* In circis igitur condendis, qui

---

[1]) Plin. exerc. p. 919 B *An quod κατὰ φυλὰς spectarent, et suus cuique tribui cuneus assignatus esset? Ita certe videtur. Cuneus ut φυλὴ certum τάγμα dicitur. Hinc viae in theatro discrimina popularium per procliuum Tertúlliano dicuntur, quia cunei popularium viis per descensum discriminarentur.* Tertullianus cum De pud. V (I 227, 4), ut idololatriam, moechiam, homicidium mala inter se artissime coniuncta esse doceat, moechia ab ea societate interclusa cetera mala facit reclamantia: *noster hic cuneus est, nostra compago,* si spectacula habuit in animo, eiusdem divisionis meminit. *Cuneum* per metaphoram adhibuit Tert. De carnis res. II (III 27, 26).

[2]) Friedl. apud Marqu. ib. p. 536 sqq. Id. p. 557 sq. cuneos item in amphitheatris distributos fuisse putat. Huobner, ib. p. 65

[3]) Cfr Friedl. ib. p. 507. — De iis, quos Tertullianus dicit stare in viis spectaculorum, haec monuit Lipsius (De amphith. Graev. Thes. IX 1298): In his viis qui locum non habebant, quique, ut suo verbo dicam, excuneati erant, spectabant stantes.

[4]) Rudorff, Die Schriften der Röm. Feldmesser II p. 342 sqq. Nissen Orientation 1 p. 82 sqq. I. M. J. Valeton, Mnemosyne 1893 p. 410 sqq. W. Gebert, Bonner Jahrb. 1910 p. 169 sqq.

longiores erant quam latiores, cum solum demetiendum esset, consentaneum est limitem decumanum e spinae regione ductum esse [1]). Unde factum erat, ut omnes viae, quae paribus intervallis ab decumano distantes spectaculum percurrebant, limites appellarentur. Ceteroquin spectaculum circi si artis gromaticae praebet exempla, minime est mirandum. An, qui latera in foros quadratos divisa spectabat, eum tu nescio quid censes sibi potius finxisse quam imaginem agri in centurias dimensi. In theatra vero ubi cardines, qui vocabantur, curvas lineas efficiebant, appellatio illa in eodem, quo usurpata erat apud gromaticos, sensu haudquaquam videtur convenire. Namque mensoria in arte nullae nisi directae adhibebantur lineae [2]). Verum tamen si ex similitudine, quae est inter harenam circi et scaenam theatri, decumanum in huius longitudinem direxeris, num vias in orbem per caveam ductas, quarum fines, si producerentur, in decumanum transversi incurrerent, aliter atque cardines nuncupaveris.

Vocabulum apulias, quod nobis et codex Agobardinus et editio Gangneiana tradiderunt, *ἅπαξ λεγόμενον* magnas interpretantibus praebuit difficultates. Qui textum receptum retineri voluerunt, ii apuliis sive vela, quae in theatris et amphitheatris ad solis ictus excludendos incursusque pluviarum arcendos pandebantur [3]), sive subsellia ima eaque delicatissima significari autumarunt [4]). Qui vere vitiosum illum locum damnarunt, ii pro voce

[1]) Limitationem circi theatrique puto maxime comparandam esse cum ea, qua castra (cfr Marqu. Staatsverw. II [2] p. 405 sqq. Valeton, Mnemosyne 1893 p. 63. 424) constituebantur, sed ad harenam tantum et scaenam pertinuisse, quae forma erant quadrata. Cfr Valeton ib. 1892 p. 369.

[2]) Wissowa R. u. K. p. 454. Valeton ib.

[3]) Oehler, Tertulliani quae superunt omnia I p. 52. Id. ib. *Latinius opinabatur apulias esse vocabulum Phoenicum, quasi apluvias, significarique a pluviis tuta loca.*

[4]) Noeldechen (Zeitschr. f. Kircheng. XV 2 p. 170 sqq.), quod in tesseris gradibusque nomina deorum occurrerint, numen Apollinis rationes multas cum theatris occidentis habuerit, omnis res scaenica ex Etruria Romam fuerit translata, vocem *apulias* ex Etrusco Apollinis nomine, quod erat *Apulu*. deducit eoque vocabulo praecipua in theatris loca significari putat. Tesseras vero a rebus scaenicis omnino seiungendas esse docuit Huelsen (Röm. Mitteil. XI 238),

apulias vel vocabula graeca *ἐπαυλίας* [1]), *apelias (aphelias)* [2]) posuerunt, vel verba proposuerunt latina *aperturas* [3]), *aulaea* [4]). Ex illis quid esset praeferendum seu pro illis quid potius substituendum, antequam constitueremus, toto capite vicesimo, in quo vocabulum *apulias* invenitur, quae esset continuatio sententiarum, quae quidem aliter ab aliis explicatur [5]), nobis placuit investigare. Loco illo Tertullianus suaviludium quendam impugnat, qui ei, ne spectaculis se christiani inquinarent, monenti haec obiecerat: *sol, immo ipse etiam deus de caelo spectat nec contaminatur* [6]). Qua arrogantia commotus scriptor summa vi in suavi-

---

neque de titulis spectaculorum gradibus impositis quae dixit Noeldechen, si spectacula respicimus Romana, videntur probabilia (cfr Reisch apud Pauly-Wissowa IV 1755 Cuneus). Reliqua argumenta undique conquisita, quod parum cum ipsa re demonstranda cohaerent, nobis fidem non faciunt.

[1]) Silvius Ursinus; cfr edit. Reiffersch. appar. crit.

[2]) Bulengerius; cfr id. appar.

[3]) E. Klussmannus (Q. Sept. Flor. Tertulliani libellus de spectaculis. 1876 p. 43) graeca vocabula, quae pro *apuliis* illis erant substituta, quod ab hominibus indoctis non intellegerentur, a Tertulliano docet evitata fuisse, nisi quae notissima essent aut latino vocabulo apposito explicata, sed vocem latinam *aperturas* consulto Roenschio (Itala und Uulgata 40) commendat.

[4]) Reifferscheid in apparatu editionis suae critico.

[5]) E. Klussmannus (ib. p. 42) sententiam: *et idcirco ergo nos non spectabimus, ne videamur ab illo qui spectat omnia*, vix recte in interrogationem convertit suaviludioque attribuit. Namque sententia illa, qua suaviludius Tertullianum refutet, nimis inanis, qua vero Tertullianus quae dixit concludat, satis gravis videtur esse. Eodem loco quae sequuntur: *numquid ergo et extra limites circi furori studemus ... quoniam deus etiam extra cameras et gradus et apulias oculos habet?* Noeldechen (Z. f. Kircheng. XV 2 p. 170) christianos facit interrogantes quasi velint demonstrare se ne intra quidem spectacula isdem, quorum expertes sint extra, vitiis contaminari posse. At responsum, quod sequitur, minime congruit cum interrogatione illa.

[6]) De sole quae dixerat Tertullianus in responso: *sane, sol et in cloacam radios suos defert nec inquinatur*, ea Oehlerus contulit (ib. p. 51 sq.) cum locis his: Diog. Laert. VI 6, 63 „πρὸς τὸν ὀνειδίζοντα, ὡς εἰς τόπους ἀκαθάρτους εἰσίοι, „Καὶ γὰρ ἥλιος“, ἔφη, „εἰς τοὺς ἀποπάτους, ἀλλ' οὐ μιαίνεται“. Origen. Contra Celsum VI p. 309 παραπλήσιόν τι ποιῶν τοῖς οἰομένοις τὰς αὐγὰς τοῦ ἡλίου μιαίνεσθαι ἐν τοῖς βορβόροις καὶ τοῖς δυσώδεσι σώμασι. Synes. Epist. LVII Migne, Patrol. 66 p. 1396 C Ἀκτὶς ἡλίου κἂν ὁμιλήσῃ βορβόρῳ, μένει καθαρὰ καὶ ἀμόλυντος. Prudent. C. Symmach. II 831 sqq.

ludium invehitur. Docet, qui sit deus, qui homo. Deum dicit omnia videre, omnia iudicare. Hominem vitiis obrutum esse, cuius nihil magis intersit quam cavere, ne in peccatis deprehendatur deprehensusque damnetur. Animi fervore ductus Tertullianus, cum id tantum agit, ut sententiam illam christiani absurdam refutet funditusque subvertat, concinna disserendi ratione deserta multa relinquit supplenda. Deum igitur cum demonstrasset omnia iudicare, interrogat: *numquid ergo et extra limites circi furori studemus et extra cardines theatri impudicitiae intendimus et insolentiae extra stadium et immisericordiae extra amphitheatrum, quoniam deus etiam extra cameras et gradus et apulias oculos habet?* Qua interrogatione confessionem tacitam suaviludio extorquet, christianos furorem, impudicitiam, insolentiam, immisericordiam extra spectacula damnanda existimare. Eaque accepta refutationem verbo absolvit uno: *erramus* i. e. in errore igitur versamur, si vitia illa nobis licita esse putamus intra spectacula, quae extra vetita esse scimus. Sed iam ad institutum revertar meum. De spectandis ludis quoniam hoc loco agitur, consentaneum est Tertullianum eas spectaculorum partes nominasse, quae praecipue ad spectatores referendae sunt. Ad quas certe redeunt camerae gradusque. Etenim, ut gradus omittam, qui nulla egent interpretatione, camerae fornices sive porticus significant [1]), summa in theatri vel amphitheatri cavea exstructas [2]), ubi sub tecto cathedrae, quarum supra memineramus, positae erant. *Apulias* vero vocabulum, quacunque ex parte examinatur, nequaquam defendi potest. Nam cum adiectivum *apulius*, unde substantivo *lanae*, ut volunt, suppleto derivandae sunt apuliae illae [3]), nusquam in litteris nisi in titulo quodam nominis loco adhibitum [4]) inveniatur,

[1]) Non. p. 30, 7 M. *camerum obtortum: unde et camerae, tecta in curvitatem formata.* Vitruv. V 6, 4 *tectum porticus quod futurum est in summa gradatione, cum scaenae altitudine libratum prospiciatur.* Léon Heuzey apud Daremberg-Saglio, Dict. I 2 p. 854 sqq.

[2]) Fornices amphitheatri Pompeiani in tabula picta, quae prope theatrum est inventa, conspiciuntur (Mau. Pompeji p. 203 sq.).

[3]) Oehler ib. p. 52.

[4]) CIL VIII 4440, 4, 22 *Apulius Rogatus.*

origo ipsius vocabuli videtur suspecta. Neque, cum vela spectaculorum et Plinius [1]) et alii [2]) doceant ex carbaso esse facta, praeterquam quod pannus laneus propter gravitatem magnam et inconstantiam, madefactus ut facile extenditur, siccatus contrahitur, prorsus inutilis est ad vela facienda, significatio quae vocabulo illi asseritur usu comprobatur. Item vocabulum *apulias* ne in *apulas* emendemus, obstat significatio, quae nulla alia nisi quae illi tribuitur esse potest. *Aulaea ἐπαυλίας aperturas* vocabula, quod ad loca spectatoribus destinata non pertinent, pro vocabulo *apulias* cur substituantur satis causae non esse censeo. Sed initium locorum enumerandorum si animadvertimus Tertullianum, id quod monuit Noeldechenius [3]), a summa cavea sumpsisse, in ima verisimile est eum fecisse finem. Videtur igitur tertio vocabulo ad inferiores, vel equitum vel senatorum vel utrorumque locos spectasse. Quare, cum neque vocabulum *apulias* iure possit defendi et Tertullianus hoc loco videatur de iis spectaculorum partibus cogitasse, quae ad spectatores sunt referendae, haud dubitaverim pro vocabulo *apulias* ponere vocabulum *subsellia*, quae ceteroquin de sedilibus spectatorum constat usurpata esse [4]).

---

[1]) N. h. XIX 23 *carbasina deinde vela primus in theatro duxisse traditur Lentulus Spinther Apollinaribus ludis.*

[2]) Lucr. VI 108 sq. *dant etiam sonitum patuli super aequora mundi, carbasus ut quondam magnis intenta theatris dat crepitum malos inter iactata trabesque.* Varro apud Non. Marc. 541, 20 *eadem* (*theatra* Muell.) *postea carbasineis magis* (*velis operiri solita, cum ante esset institutum* Muell.) *ut pellibus tegerentur.*

[3]) Z. f. Kircheng. XV 2 p. 171 sq.

[4]) Sueton. Aug. 44, 1 *facto igitur decreto patrum ut, quotiens quid spectaculi usquam publice ederetur, primus subselliorum ordo uacaret senatoribus.* Blümner, Die röm. Privataltert. p. 121 n. 5. Friedlaender apud Marqu. Staatsverw. III [2] p. 534. Huebner, Ann. d. Inst. 1859 p. 63: Mentre parole, come le seguenti di Vitruvio V 7 (lege: V 6, 3) *gradus spectaculorum ubi subsellia componantur*, evidentemente provano che gradini marmorei non escludono le *subsellia*. Canina, Edifizj III p. 25, sedilia senatorum et equitum dicit appellata esse *subsellia*. Vocabula *cathedram* et *subsellia* Tert. iuxta posuit De or. XVI (I 190, 12).

Restat ut, quae de locis ludorum attulit Tertullianus, num ad certa quaedam aedificia sive urbana sive municipalia direxerit, exploremus. Sunt enim qui ea, quae de locis disseruit Tertullianus, omnia fere ad spectacula Carthaginiensia referenda esse existiment [1]). Quod maxime probare voluit is qui plurima de hac re disputavit, Noeldechenius, ea nisus similitudine, quae inter res urbanas provincialesque imperatorum aetate esset [2]). Sed antequam eam ad rem diiudicandam aggrediamur, amphitheatrum et stadium, de quibus apud Tertullianum nihil adfertur, unde quo pertineant palam fiat, itemque theatrum, de quo quidquid dicitur ad theatrum Pompei spectat, extra quaestionem secludenda esse praemonemus. Circus igitur, qualis in libro de spectaculis describitur, sitne potius Carthaginiensis iudicandus quam Romanus, nobis est considerandum. Circi templa et ornamenta, quae apud Tertullianum nominantur, omnia, quantum ex imaginibus quae restant colligi potest, cum Circi maximi templis ornamentisque congruere iam ostendimus [3]). Accedit quod is locus, quo circus describitur apud Tertullianum, quin sit sumptus ex Suetonio, quem nemo infitietur in ludicra sua historia de circo Romano cogitasse, aegre quisquam in dubium revocaverit [4]). Carthaginiensi vero cum circo, de quo nihil nisi ubi steterit quantumque habuerit ambitum cognitum habemus [5]), circus ille a Tertulliano descriptus quo iure componatur nescio. Neque enim quisquam,

---

[1]) Noeldchen concedit quidem (Z. f. Kirchengesch. XV 2 p. 196) Tertullianum de circo et theatro tractantem aedificiorum meminisse Romanorum, sed ita ut quae de circo commemoret ad Carthaginiensem accommodet circum (Z. f. wissensch. Theol. 1894, 1 p. 98 sqq.). De amphitheatro loquentem dicit eum nullo de alio nisi Carthaginiensi cogitasse (Tertullian p. 80). Audollent, Carthage romaine p. 301: c'est l'amphithéâtre dont Tertullien parle souvent. Ibid. n. 3: Les quatre monuments où se donnaient les jeux, cirque, théâtre, stade et amphithéâtre, que Tertullien nomme sans cesse dans le De spectaculis, sont évidemment ceux de Carthage. Cfr Analecta Bollandiana XVI (1897) p. 226.

[2]) Z. f. wissensch. Theol. 1894, 1 p. 104 sqq.

[3]) p. 53 sqq. [4]) Reifferscheid, Suetoni rel. p. 335 sqq.

[5]) Audollent ib. p. 305 sq. Ac ne musivo quidem opere Carthagine reperto, ubi ludi circenses effioti conspiciuntur, ipsum circi aedificium illustratur. De musivo illo cfr Rev. archéol. 1850 p. 260 sqq.

licet multa in municipiis ad exempla urbana fuerint instituta, nisi testimonia habeat dilucida, imitandi cupidine contenderit municipales colonosque eo esse progressos, ut statuas, aras, aediculas, quarum quae esset vis et notio ne ipsi quidem Romani posteriore satis sciebant aetate, in suis collocarent spectaculis [1]). Similitudinem qui dicunt fuisse inter circum Romanum municipalemque imagine circi comprobare solent Barcinone reperta, ubi spina isdem fere, quibus in anaglyphis Folignano et Maffeiano, ornamentis impleta esse conspicitur [2]). Sed una illa imago, qua circus maximus demonstraretur cum omnibus circis municipalibus consimilis fuisse, etsi sufficeret, num inde, quod Barcinone sit reperta, quisquam recte collegerit effici, ut nullum alium nisi Barcinonensem possit repraesentare circum. Quis enim scit, an pavimentum, cui imago illa est iniecta, magistratus quidam vel negotiator Romanus, qui Barcinone habitabat, memoriae causa ad specimen circi maximi effingi iusserit, vel ex officinis Romanis, ubi confectum esset, suam ad domum ornandam emerit sive in thermis, quo id pertinere existimat Huebner [3]), ponendum curaverit? Immo alia imago Lugduni reperta, qua circus exprimitur, tantum a circi maximi imaginibus differt, ut circos municipales, si singulas res respicimus, multum a Romanis discrepavisse ostendat [4]). Quod si ad nomina ludorum editoresque, qui in libro de spectaculis proferuntur, animum advertimus, magis videtur scriptor Romanarum quam municipalium meminisse rerum. Neque mirum id quemquam habebit, qui librum contra spectacula editum non ad eos solum qui christiani Carthagine

---

[1]) Cfr. Nibby, Del circo volgarmente detto di Caracalla p. 33 n. 2: Che tutti i circhi poi avessero questo accessorio di ara di Conso e di edicole, e che in tutti i giuochi circensi dovessero osservarsi i riti di quelli che l'antica religione prescriveva, che si celebrassero nel Circo Massimo, niun antico monumento il dimostra, e niun passo di antico scrittore l'insinua.

[2]) Imago illa ab Huebnero edita et diserte explanata (Annali dell' Inst. 1863, 135—172, tab. D. Cfr Huelsen, Top. p. 140 et n. 72), quam in tabula huic libello adi. III D exscribendam curavimus, sitne ad Barcinonensem circum referenda Huelsen (ib. p. 139 n. 69) dubitat.

[3]) Ib. p. 135.

[4]) Imago Lugdunensis circi apud Daremberg-Saglio I p. 1192 exscripta est.

inveniebantur, sed ad omnes, ubicunque terrarum essent, qui lingua latina vel graeca [1]) uterentur, scriptum esse sibi persuaserit. Idem certe intelleget res Romanas omnibus notissimas prae ceteris a scriptore eius libelli in testimonium vocatas esse, municipales tantummodo praetereuntem eum attigisse. Quare quoad testimonia adferentur certiora, quibus circi municipales similitudinem cum Romano in rebus singulis habuisse demonstrentur, iis non assentiemur qui Tertullianum de circo disserentem volunt ad circum Carthaginiensem solum spectasse.

---

[1]) Tert. De cor. VI (O. I, 429). *Sic itaque et circa voluptates spectaculorum infamata conditio est ab eis qui natura quidem omnia dei sentiunt ex quibus spectacula instruuntur, scientia autem deficiunt illud quoque intellegere, omnia esse a diabolo mutata. Sed et huic materiae propter suaviludios nostros Graeco quoque stilo satisfecimus.*

IV. De apparatibus artificiisque ludorum.

Reliquum est, ut apparatus artificiaque ludorum quibus argumentis nisus improbaverit Tertullianus, videamus. Qua in quaestione eundem, quem prioribus in particulis, sequemur ordinem.

A. De ludis circensibus.

Apparatum ludorum circensium Tertullianus [1]) ita exposuit: *Communis igitur origo ludorum utriusque generis* (i. e. circensium et scaenicorum), *communes et tituli, ut de communibus causis. perinde apparatus communes habeant necesse est de reatu generali idololatriae conditricis suae. sed circensium paulo pompatior suggestus, quibus proprie hoc nomen: pompa praecedens, quorum sit in semetipsa probans de simulacrorum serie, de imaginum agmine, de curribus, de tensis, de armamaxis, de sedibus, de coronis, de exuuiis. quanta praeterea sacra, quanta sacrificia praecedant, intercedant, succedant, quot collegia, quot sacerdotia, quot officia moueantur, sciunt homines illius urbis, in qua daemoniorum conuentus consedit.*

Pompa [2]) ludorum circensium, quam principio nihil nisi extremum ludorum triumphalium actum fuisse Mommsenius docuit [3]), ab iis separata primumque in Romanos ludos, deinde in omnes

---

[1]) De spect. VII (I 8, 19).

[2]) Pompam copiose descripserunt Panvinius in Graevii Thes. IX pp. 337—375. Bianconi, Descr. p. 53 sqq. Laborde, Description d'une mosaïque, découverte a Lyon. 1806 p. 31. Cfr Marquardt, Staatsverw. II [2] 584 n. 1. Vid. tab. III A adi.

[3]) Röm. Forsch. II p. 45 sq. Wissowa R. u. K. p. 384.

circenses statos translata prima horum fuit et propria pars [1]). Ductu ludorum editoris, qui veste triumphali indutus curru vehebatur [2]), pompa circensis ex Capitolio profecta per forum, vicum Tuscum, Velabrum, forum Boarium [3]) ad circum maximum incedebat, ubi antequam discessit spinam circumibat [4]). Quae series adulescentium et equis vehentium et pedibus euntium, quadrigariorum, bigariorum, iuvenum equis non iugatis vehentium, athletarum, saltatorum et satyristarum, quorum choris immixti erant tibicines citharistaeque, pompae interfuisset ludorum Romanorum, quos A. Postumius edidit, Dionysius Halicarnasseus Fabium Pictorem secutus tradidit [5]). Sed caput ipsum ac velut cardo totius pompae res erant ad religionem pertinentes, ad quas Tertullianus ut pompae originem reduceret praecipue animum attendit. Res illas cum enumerat, principem dat locum simulacris deorum, quorum quantae multitudinis pompa circensis particeps fuisset iam ineunte re publica, Dionysius idem ille rerum Romanarum scriptor collegit. Qui cum primum Iovem Iunonem Minervam Neptunum aliosque qui inter duodecim deos referuntur, deinde Saturnum et Parcas et Mnemosynen reliquosque omnes, ex quibus duodecim illi geniti esse traduntur, tum Proserpinam Lucinam Nymphas Musas Horas Gratias, semideos Herculem Aesculapium Castorem Pollucem Helenam Panem dixisset in pompa ductos esse, adiecit sexcentos fuisse alios, quibus cum deos tum effigies quasdam ad superstitionem populi pertinentes [6]) nescio an significaverit. Numerum deorum, quibus pompa erat consecrata, iam tum permagnum, non est cur posterius arbitremur imminutum esse. Immo

---

[1]) Preller-Jordan, Röm. Myth. I p. 145. 223 sq.

[2]) Tert. de cor. XIII (O. I 449) *Superferuntur etiam illis* (sc. magistratibus) *Hetruscae. Hoc vocabulum est coronarum quas gemmis et foliis ex auro quercinis ab Iove insignes ad deducendas tensas cum palmatis togis sumunt.* Liv. V 41, 2 *quae augustissima vestis est tensas ducentibus triumphantibusve.* Wissowa ib. 384 n. 4. Friedlaender apud Marqu. Staatsverw. III [2] p. 508.

[3]) Becker, Top. p. 491 et n. 1023. Friedl. ib.

[4]) Varro De l. l. V 153 *Et quod ibi circum metas fertur pompa.*

[5]) AR VII, 72. [6]) Ex iis Friedlaender ibid. 509 n. 7. *Manducum* et *Citeriam* adfert. Cfr Panvinius ib. p. 348 sq.

principum aetate imagines mortuorum[1]) non modo Caesarum, sed etiam feminarum et virorum, qui affinitatis vel amicitiae vinculis cum iis fuerant coniuncti, seriem numinum in pompam receptorum augebant[2]). In itinere inter Capitolium et circum sicuti simulacra deorum[3]) exuviaeque eorum[4]) et imagines divorum[5]) in tensis[6]) traducebantur, ita imagines virorum, qui consecrati non erant, plerumque ferebantur[7]), feminarum et divarum[8]) et aliarum[9]) in armamaxis et carpentis vehebantur[10]). Inter varia vehiculorum genera, quae in pompa conspiciebantur, licet Tertullianus carpenta praetermiserit, de iis ipsis tamen videtur

---

[1]) Imaginem Iulii Caesaris etiam vivi senatus decrevit in pompa deducendam esse. Suet. Caes. LXXVI 1 *decerni sibi passus est: . . . tensam et ferculum circensi pompa.* Cass. Dio XLIII 45. Friedlaender ib. 510 n. 1.

[2]) Id. ib. p. 509 sq.

[3]) Cic. Verr. V 186 *omnesque di, qui vehiculis tensarum sollemnis coetus ludorum initis.* Serv. ad Verg. Aen. I 17 *currus . . . thensam significat, qua deorum simulacra portantur.* Corp. Glossar. Lat. II 198, 18 *Thensae ἅρμα θεῶν.* Suet. Vesp. V 7 *Neronem diebus ultimis monitum per quietem, ut tensam Iouis Optimi Maximi e sacrario in domum Vespasiani et inde in circum deduceret.* CIL X 6102 *Tensae Minervae.*

[4]) Fest. p. 364 *Tensam ait vocari Sinnius Capito vehiculum, quo exuviae deorum ludicris Circensibus in circum ad pulvinar vehuntur.* [5]) Cfr n. 1.

[6]) Fest. ib. *Fuit* (tensa) *et ex ebore, ut apud Titinium in Barbato, et ex argento.* Tensae imago expressa et descripta est in Bullet. comun. vol. V (1877) p. 119 sqq. et in eiusdem operis vol. XXXVIII (1910), fasc. I p. 49 sqq. Cfr Panvinius ib. 358 sqq. Friedl. ib. p. 509 n. 3. Tensa quattuor elephantis vecta in tab. III A adi. conspicitur.

[7]) Suet. Tit. II *statuam ei* (Britannico) *auream in Palatio posuit, et alteram ex ebore equestrem, quae Circensi pompa hodieque praefertur, dedicauit.* Tac. Ann. II 83 *Honores . . .* (in Germanicum) *reperti decretique: . . . ludos circenses eburna effigies praeiret.* IV 9 *memoriae Drusi eadem quae in Germanicum decernuntur.* Vita M. Anton. XXI 5 *imago aurea* (Veri) *circensibus per pompam ferenda.*

[8]) Cass. Dio LIX 13, 8 *ἄγαλμά τε αὐτῆς (τῆς Δρουσίλλης) ἐπ' ἐλεφάντων ἐν ἁρμαμάξῃ ἐς τὸν ἱππόδρομον ἐσήγαγε.*

[9]) Suet. Calig. XV, 1 *instituit . . . matri circenses carpentumque quo in pompa traduceretur.* Claud. XI, 2 *matri carpentum* (decernendum curauit) *quo per circum duceretur.*

[10]) Omnes, quorum imagines in pompa traductas esse constat, enumeravit Friedl. apud Marqu. Staatsverw. III² 510 n. 2.

cogitasse cum de armamaxis facit mentionem. Constat enim armamaxae apud orientis gentes carpentique apud Romanos usum eundem fere fuisse [1]). Quae vocabula eodem sensu usurpata esse comprobant glossaria, quae graecum illud ἁρμάμαξα latino vocabulo carpento interpretantur [2]). Neque hoc loco, id quod ad universum vehiculorum ante tertium saeculum usum pertinet reticendum esse puto, nulla eorum genera, nisi quantum subvectio commeatus materiaeque et alia necessitas postulabat, privatas ad res obeundas intra urbem Romam adhibita esse [3]). Itaque vehicula illa delicata, currus [4]), tensae, armamaxae, cum per plateas urbis volvi visa erant, rerum commonefaciebant ad religionem pertinentium. Sed simulacra deorum atque dearum, cum ad pulvinar circi pervecta essent, ita videntur ibi posita fuisse, ut deae vel solae vel cum deis sedentes ludis oblectarentur [5]). Quem

---

[1]) Carpentum, quod Isidorus (Etymol. XX 12, 3) pompaticum genus vehiculorum appellat, birotum erat et arcuatum (Marquardt-Mau, Privatleben d. Römer I [2] p. 735 sq. Blümner, Röm. Privatalt. p. 463). — Quantum ex locis nonnullis (Herod. VII 41; Xenoph. Anab. I 2, 16. 18; Hist. VI 5, 9; Cass. Dio 36, 49, 4; Curt. III 3, 23) apparet, armamaxa vehiculum fuit aut onerarium aut itinerarium, quo in primis feminae liberique vehebantur. Quod interpretatores, proxime I. Pantazides (*Ξενοφῶντος συγγράμματα*, Ἀθήνησιν 1900 I p. 86 *ἦτο δὲ τετράκυκλον ὄχημα ὑπὸ τεσσάρων ἵππων συρόμενον, ὄπισθεν καὶ ἄνωθεν κλειστόν, κατὰ δὲ τὰ πλάγια μόνον διὰ παραπετασμάτων)* armamaxam tecto aulaeisque ornatam atque quattuor rotis superpositam fuisse dixerunt, id maxime ex vocabuli etymo et vehiculi ipsius usu coniecerunt. Vehiculum quattuor rotarum quod fuerit ἁρμάμαξα apud Graecos et gentes orientales, ea res mihi non videtur obstitisse, quin eadem voce Romani magis ad usum quam rotarum numerum spectantes pro carpentis birotis uterentur.

[2]) Corp. Glossar. Lat. II 245, 1 Αρμαμαξα carpentum. Cfr Cass. Dio loco supra (p. 86 n. 8) allato. Quamquam idem ille latinum sermonem imitatus vocabulo καρπέντῳ quoque (LX 22, 2; 33, 2 [1]) utitur.

[3]) Marquardt-Mau ib. p. 728 sqq. [4]) Blümner ib. p. 458.

[5]) Quem morem, quod ad deas attinebat, in sellisterniis observatum esse docet Wissowa, R. u. K. p. 357: Nur in einem Punkte wurde der römischen Anschauung eine Concession gemacht, indem die weiblichen Gottheiten, die bei den früheren Lectisternien mit den männlichen den lectus geteilt hatten, auf Sesseln sitzend am Mahle teilnahmen, und solche sellisternia sind in der Folgezeit auch bei Akten des ursprünglichen graecus ritus für weibliche Gottheiten an die Stelle des lectisternium getreten.

ad usum sedes in circum apportandae erant[1]). Testimonium eiusdem consuetudinis dant scriptores, qui sedes proprias divis virisque illustribus in ludis positas esse narrant[2]).

Coronas[3]) Tertullianus, quas non modo hoc loco in testimonium idololatriae vocat, sed libello, quem nominatim de corona edidit, omnino Christianis non convenire docet[4]), optimo iure inter res deis consecratas recenset. Originem enim earum scriptores ipsi Romani ad deos referunt[5]), usum ad religionem pertinere testantur[6]). Coronati autem inter ludos videntur fuisse

---

[1]) In Zophoro illo templi Atheniensis Minervae omnes non deae modo, sed etiam dei pompam sedentes excipere fingebantur.

[2]) Appian. B. C. III 28, 1 *θέαι δ' ἦσαν, ἃς Κριτώνιος ἀγορανομῶν ἔμελλε τελέσειν, καὶ ὁ Καῖσαρ ἐς τὰς θέας τῷ πατρὶ τόν τε χρύσεον θρόνον καὶ στέφανον παρεσκεύαζεν, ἅπερ αὐτῷ κατὰ πάσας θέας ἐψηφίσαντο προτίθεσθαι.* Cass. Dio LVIII 4, 4. Eundem honorem proprium fuisse deorum inde colligitur, quod Suetonius *sellam auream* Caesari concessam, qua inter ludos quoque utebatur (Cass. Dio XLIV 6, 7), Suetonius inter *ampliora etiam humano fastigio* rettulit (Caes. LXXVI 1). Praeterea latinum vocabulum *sedes* in glossariis (Corp. Glossar. Lat. II 329, 27; III 75, 26; 269, 20, 57; 277, 68; 418, 70; 424, 3; 472, 76) graeco plerumque redditur *θρόνῳ*, quo vocabulo apud Graecos solia, in quibus dei sedebant in templis, proprie significabantur (Guhl u. Koner, Leben d. Gr. u. R.[6] p. 256. Mau, Privatl. p. 725 sq.).

[3]) Cfr Fiebiger apud Pauly-Wissowa R-E IV 1636 sq.

[4]) Tert. de cor. XIII (O. I 452) *Universas, ut arbitror, causas enumeravimus, nec ulla nobiscum est; omnes alienae, profanae, illicitae, semel iam in sacramenti testatione eieratae.*

[5]) Plinius N. h. XVI 9 *Antiquitus quidem nulla* (corona) *nisi deo dabatur.* XXI 11 *Et iam tunc coronae deorum honos erant et larum publicorum privatorumque ac sepulchrorum et manium.* Item Tertullianus De cor. VII (O. I 433) *Nam est illius* (Claudii Saturnini) *de coronis liber et origines et causas et species et sollemnitates earum ita edisserens, ut nullam gratiam floris, nullam laetitiam frondis, nullum cespitem aut palmitem non alicuius capiti invenias consecratum; quo satis instruatur, quam alienum iudicare debeamus coronati capitis institutionem ab eis prolatam et in eorum deinceps honorem dispensatam quos saeculum deos credidit.* Ib. X (O. I 441) *Usque adhuc proprietatem istius habitus et ex originis censu et ex superstitionis usu idolis vindicamus.*

[6]) Cfr Fiebiger l. s. a.

praeter editorem[1]) sacerdotes[2]), simulacra deorum, imagines[3]), imperatores[4]), viri de re publica bene meriti[5]). Praeterea Parilibus diebusque ob laetitias publicas feriatis, qui posteriore aetate imperatoria circensibus celebrabantur, omnes qui feriis intererant, homines coronatos esse Polemius Silvius et Tertullianus tradiderunt[6]).

Tantam vero deorum multitudinem, quantae particeps pompa facta erat, si respexerimus, iam intellegemus quid negotii diebus circensium fuerit collegiis sacerdotiis officiis illis, quorum Tertullianus mentionem inicit. Consentaneum enim est deos deasque, antequam pompa ex Capitolio proficisceretur, item cum ludi fierent factique essent, sacrificiis ceterisque sacris caerimoniis esse observatos[7]).

---

[1]) Cfr p. 85, 2.

[2]) Quoniam dei, cum adorarentur (Arnob. Adv. nat. VII 32; Lact. Inst. II 1), vel cum feriae celebrarentur (CIL VI 2104) coronari solebant, vix probabile est simulacra eorum diebus circensium coronis caruisse. Neque, cum iam libera re publica moris fuerit in ludis divos coronis honorari (Appian. ibid.), eundem morem postea evanuisse credibile est.

[3]) Vel ideo quod sacrificabant, coronati erant sacerdotes. Plin. N. h. XVI 9 *postea deorum honori sacrificantes* (coronas) *sumpsere victimis simul coronatis.* Item hostias ministrosque coronatos esse dicit Tert. De cor. X (O. I 442) *ipsae hostiae et arae, ipsi ministri ac sacerdotes eorum coronantur.* De corona sacerdotali cfr Amm. Marc. XXIX 5, 16. Magister vel promagister Arvalium, cum circenses obiret, *coronam pactilem rosaceam* sumpsit CIL VI 2076. 2081.

[4]) Cfr Fiebiger ibid. p. 1638, 21 sqq. [5]) Cfr ibid. p. 1638, 47 sqq.

[6]) CIL I[2] p. 213 ad Apr. 21 *Roma condita feriae coronatis omnibus celebrandae.* Cfr tamen ib. p. 316. Tert. De cor. XIII (O. I 450 sq.) *coronatur et vulgus nunc ex principalium prosperitatum exultatione, nunc ex municipalium sollemnitatum proprietate.* Ibid. (O. I 449) *coronant et publicos ordines laureis publicae causae, magistratus vero insuper aureis, ut Athenis, ut Romae.*

[7]) Ad sacra post pompam profectam obeunda pertinent quae Macrobius (Sat. I 6, 15) Verrium Flaccum secutus narrat: *euenisse ut Circensium die puer de cenaculo pompam superne despiceret et patri referret quo ordine secreta sacrorum in arca pilenti composita uidisset.* Sacrificium ante editos ludos vel inter eos factum ostendunt imagines circi in anaglypho Maffeiano et in musivo Barcinonensi exscriptae, ubi flammae ex ara conspiciuntur emicantes. Vid. Tab. III B et D adi. De sacrificiis in circo factis cfr Panvinius in Graev. Thes. IX p. 156. 370. Bianconi, Descr. p. 58. Cic. De har. resp. 21.

Praeter Pompam circensem Tertullianus *pompam funeris* commemorat De cult. fem. I 1 (O. I 703): *Ideo omnia ista damnatae et mortuae mulieris impedimenta sunt, quasi ad pompam funeris constituta.* Ad supplicationes vero spectat De idol. XI (I 41, 23): *certe cum pompae, cum sacerdotia, cum sacrificia idolorum de periculis, de damnis, de incommodis, de cogitationibus, de discursibus negotiationibusue instruuntur, quid aliud quam procurator idolorum demonstraris?* Ad sacra sollemnia alludit De or. XXVIII (I 198, 30): *hanc* (hostiam) *de toto corde deuotam . . . agapen coronatam cum pompa operum bonorum inter psalmos et hymnos deducere ad dei altare debemus omnia nobis a deo impetraturam.* Vocabuloque *pompa* [1]) saepe translative utitur.

De artificiis ludorum circensium cum disserit Tertullianus, postquam primam omnium fuisse artem equitandi eamque, dum ad usum communem pertineret, culpae expertem mansisse dixit, unde ars ipsa equorum in certaminibus adhibendorum, unde vehicula circensia, unde colores originem ducerent quibusque numinibus consecrata essent ostendit. Artem igitur equorum in certaminibus regendorum Castoribus attribuit et Neptuno De spect. IX (I 10, 29): *itaque Castori et Polluci deputatur haec species, quibus equos a Mercurio distributos Stesichorus docet. sed et Neptunus equestris est, quem Graeci ἵππιον appellant.* Superest locus Stesichori [2]), quo illud Tertulliani confirmatur:

. . . Ἑρμᾶς μὲν ἔδωκεν
τοῖσι Διοσκούροις Φλόγεόν τε καί
Ἅρπαγον ὠκέα τέκνα Ποδάργας·

Equorum regendorum peritissimos fuisse Castores docent et attributa, quae nominibus eorum a scriptoribus adiunguntur, et artis antiquae monumenta [3]). Ad ea, quae supra [4]) de Neptuno eque-

---

[1]) *Pompa diaboli* ex. gr. De spect. IV (I 6, 4. 11), XXIV (I 24, 14); De idol. X (I 40, 9), XVIII (I 52, 27. 53, 1); De an. XXXV (I 360, 28); De cor. XIII (O. I, 452); *pompa moechiae* De pud. V (I 226, 28); *pompa muliebris* De cult. fem. I 4 (O. I 706), II 9 (O. I 726), II 11 (O. I 730).

[2]) Bergk, Poetae lyrici Gr. p. 634.

[3]) Cfr Furtwaengler in Roscheri lex. I p. 1156 et 1173 sqq. Preller, Gr. Myth. II p. 101 sq. [4]) p. 18 sq.

stri diximus, haec ex Servio (ad Verg. Georg. I 12) sumpta adiciantur: *cum Neptunus et Minerva de Athenarum nomine contenderent, placuit diis, ut eius nomine civitas appellaretur, qui munus melius mortalibus obtulisset. tunc Neptunus percusso litore equum, animal bellis aptum, produxit . . . sane hunc equum cuiuscumque nominis alii apud Arcadiam, alii in Thessalia editum dicunt, in qua etiam montem altissimum ostendunt, ubi primum equus visus sit, in tantum, ut ob hanc causam a Thessalis Neptuno equestre certamen memorent institutum: unde apud Graecos ἵππιος Ποσειδῶν, a nobis equester Neptunus* [1]).

Currus a quo esset inventus, a quo primum in certamen ductus, id quod aliter ab aliis traditum acceperat, Tertullianus sic exposuit De spect. IX (I 11, 4): *sed et*

Primus Erichthonius currus et quattuor ausus
Iungere equos rapidusque rotis insistere uictor.

Erichthonius, Mineruae et Vulcani filius, et quidem de caduca in terram libidine, portentum est daemonicum, immo diabolus ipse, non coluber. si uero Trochilus Argiuus auctor est currus, primae Iunoni id opus suum dedicauit. Praeter Vergilium [2]), quem Tertullianus hoc loco arcessit testem, scriptores alii Erichthonium [3]) quadrigas invenisse [4]), alii primum equos ad currum iunxisse [5]), alii Panathenaica quae dicuntur ludos instituisse tradunt [6]). Atque eius de ortu, quem Tertullianus breviter attigit, alii

[1]) Cfr Preller-Robert Gr. Myth. I p. 589 sqq. Meyer in Roscheri lex. III p. 2822 sqq.

[2]) Georg. III 113 sq.

[3]) Cfr Escher apud Pauly-Wissowa R-E VI 439 sqq. Engelmann in Roscheri lex. I p. 1303 sqq. Preller-Plew, Gr. Myth. II p. 138.

[4]) Hygin. Poet. astron. II 13 *sed Erichthonius . . . quadrigas . . . primus instituit.* Fulgent. Mitol. II 11.

[5]) Plin. N. h. VII 202 *bigas prima iunxit Phrygum natio, quadrigas Erichthonius.* Aeliani Var. hist. III 38 *Καὶ ἵππους ἔζευξε πρῶτος Ἐριχθόνιος.* Marmor Parium I 10 *Ἀφ' οὗ Ἐριχθόνιος Παναθηναίοις τοῖς πρώτοις γενομένοις ἅρμα ἔζευξε καὶ τὸν ἀγῶνα ἐδείκνυε.* Probus ad Verg. Georg. III 113.

[6]) Androt. fr. 1 *ἤγαγε δὲ τὴν ἑορτὴν (τὰ Παναθήναια) ὁ Ἐριχθόνιος.* Varro apud Serv. ad Georg. III 113 *Varro in libro, qui Admirabilium inscribitur, Erichthonium ait primum quattuor iunxisse equos ludis, qui Panathenaea*

fusius rettulerunt: e semine Vulcani, cuius amorem Minerva sprevisset, in terram effuso natum esse Erichthonium [1]), aut humana [2]) aut anguinea [3]) aut partim humana, partim anguinea [4]) specie indutum; quem Minervam excepisse et in cista conclusum Cecropidis aut omnibus aut uni aut duabus servandum tradidisse [5]). Cista vero contra iussum Minervae reclusa vel draconem [6]) vel puerum dracone custoditum [7]) exsiluisse. Trochilum Argis fuisse primum, qui currum iungeret, praeter Tertullianum memoriae prodidit scholiastes ad Arati v. 161: *οἱ δὲ μυθολόγοι τὸν Ἡνίοχον λέγουσιν εἶναι εἴδωλον ἢ Βελλεροφόντου ἢ Τροχίλου τοῦ Καλλιθέας παιδὸς τῆς πρώτης ἐν Ἄργει γενομένης ἱερείας, ἅρμα πρῶτον ζεύ-*

---

appellantur. Apollod. Bibl. III 14, 6 *Ἐριχθόνιος . . . τῶν Παναθηναίων τὴν ἑορτὴν συνεστήσατο.*

[1]) Erathosth. Catast. 13 *λέγει δὲ καὶ Εὐριπίδης περὶ τῆς γενέσεως αὐτοῦ τὸν τρόπον τοῦτον· Ἥφαιστον ἐρασθέντα Ἀθηνᾶς βούλεσθαι αὐτῇ μιγῆναι, τῆς δὲ ἀποστρεφομένης καὶ τὴν παρθενίαν μᾶλλον αἱρουμένης ἔν τινι τόπῳ τῆς Ἀττικῆς κρύπτεσθαι . . . ὃς δόξας αὐτὴν κρατήσειν καὶ ἐπιθέμενος πληγεὶς ὑπ' αὐτῆς τῷ δόρατι ἀφῆκε τὴν ἐπιθυμίαν, φερομένης εἰς τὴν γῆν τῆς σπορᾶς.* Eurip. Ion. 265 sqq. Hygin. Poet. astron. II 13. Serv. ad Verg. Georg. I 205 *quem aurigam pater Mercurius inter sidera locavit . . . nonnulli hunc aurigam Myrtilum . . . accipiunt; vel certe Erichthonium, qui natus est ex semine Vulcani, quod, dum stuprum Minervae inferre conatur, fudit in terram.* Id. ad Georg. III 113 *Vulcanus impetrato a Iove Minervae coniugio, illa reluctante, effectum libidinis proiecit in terram.* Hygin. Fab. 166. Fulgent. ib. Lact. Inst. I 17, 14. Augustin. De c. d. XVIII 12.

[2]) Eratosth. l. l. Ovid. metam. II 561. Lactant l. l. Augustin. l. l.

[3]) Hygin. Poet. astron. II 13 *Ex hoc autem nascitur Erichthonius anguis.*

[4]) Serv. ad Verg. Georg. III 113 *inde natus est puer draconteis pedibus, qui appellatus est Erichthonius.* Hygin. Fab. 166 *ex semine eius, quod in terram decidit, natus est puer, qui inferiorem partem draconis habuit.* Hygin. Poet. astr. II 13.

[5]) Eurip. Ion. 21 sqq. Paus. I 18, 2. Apollod. Ovid. Fulgent. Lact. Hygin. fab. et poet. astr. ll. ll.

[6]) Hygin. Poet. astr. l. l. *virgines cistulam aperuerunt et anguem viderunt.* Cfr Paus. I 24, 7 *εἴη δ' ἂν Ἐριχθόνιος οὗτος ὁ δράκων.*

[7]) Apollod. et Ovid. ibid. Augustinus puerum dracone involutum narrat in templo Vulcani et Minervae inventum esse. Fulgent. et Lact. ibid. draconem unum, Euripides (Ion. 21 sq.) duo, qui puerum custodirent, in cista conclusos esse tradunt.

ξαντος [1]). Eodem videtur spectare quod Trochilus primae sacerdotis filius fuisse quodque primus currum Iunoni consecrasse narratur, currum illum ad usum religionis, quo sacerdos ad templum Iunonis, ut mos erat, veheretur [2]), vel ut ludi in honorem Iunonis ederentur [3]), a Trochilo inventum esse, praesertim cum pro merito illo inter sidera sit receptus. Apud Graecos qui fuerint auctores curruum, Tertullianus cum rettulisset, De spect. IX (I 11, 10) transgressus ad Romanos: *si Romae,* inquit, *Romulus quadrigam primus ostendit, puto et ipse inter idola conscriptus est, si idem est Quirinus.* Quod quadrigas per Romulum dicit Tertullianus in usum apud Romanos venisse, id certe cohaeret cum fabula de ludis Consualibus a Romulo institutis. Eandem sententiam amplectitur Cassiodorus in Var. III 51, 3: *primus enim hoc* (spectaculum circense) *apud Elidem Asiae civitatem Oenomaus fertur edidisse: quod post Romulus in raptu Sabinarum necdum fundatis aedificiis ruraliter ostentavit Italiae* [4]).

De coloribus factionum circensium [5]) quae rettulit Tertullianus mirum in modum consonant cum iis, quae de eadem re tradiderunt nonnulli cadentis latinitatis graecitatisque scriptores. Quorum inter se consensio quo planius emineat, locos ex iis excerptos cum locis Tertullianeis componere nobis placuit.

---

[1]) Cfr J. Knaack, Quaestiones Phaethonteae (Philol. Unters. hrsg. von Kiessling u. Wilamowitz-Moellendorff H. VIII) p. 58 sq., qui ex Hygino (Poet. astron. II 13) hunc locum addidit: *nonnulli etiam qui de sideribus scripserunt hunc natione Argeum Trochilum* (sic Knaack pro: Orsilochum, quod habent codex et editores. Cfr Schefferus, De re vehic. p. 15, qui nomen illud item emendandum esse putat) *nomine primum quadrigarum inventorem esse dixerunt et pro inventione siderum locum possedisse.* Hieronym. ad annum 449: *primus quadrigam iunxisse fertur Trochilus.*

[2]) Cfr Herod. I 31. Roscher in lexico suo I p. 2076. [3]) Id. ib. p. 2077.

[4]) Circum ipsum a Romulo exstructum inepte tradunt scriptores Byxantini: Ioannes Antioch. fr. 31 (C. Mullerus) *Ῥωμύλος πρῶτος ἐν Ῥώμῃ ἔκτισεν ἱππικόν;* Malalas VII p. 173, 3 Dind.; Chron. pasch. 205, 17 Dind.; Georg. Cedrenus p. 258, 11 Bekk.; alii, quos enumeravit Dindorfius in notis ad Chron. pasch. p. 205, 21.

[5]) Cfr Pollack apud Pauly-Wissowa R-E VI p. 1954 sqq. Friedl. apud Marqu. Staatsverw. III [2] p. 517 sqq. Id. Sittengesch. II [8] p. 338 sqq. Daremberg-Saglio, Dict. I p. 1198.

Tertulliani De spect. l. c. IX.	Cassiodori Var. III 51 Momms.	Corippi In laud. Iust. l. I 314 sqq.
1. (I 11, 10) *si Romae Romulus quadrigam primus ostendit,*	3 *(Primus . . . spectaculum circi) Romulus in raptu Sabinarum necdum fundatis aedificiis ruraliter ostentavit Italiae*	314 *solis honore novi grati spectacula circi antiqui sanxere patres,*
2. (I 11, 11) *puto et ipse inter idola conscriptus est, si idem est Quirinus.*		
3. (I 11, 3) *seiugas uero Ioui, quadrigas Soli, bigas Lunae sanxerunt.*	6 *Biga quasi lunae, quadriga solis imitatione reperta est. equi desultorii, per quos circensium ministri missus denuntiant exituros, luciferi praecursorias velocitates imitantur.*	315 *qui quattuor esse solis equos quadam rerum ratione putabant,*
4. (I 11, 12) *talibus auctoribus quadrigae productae merito et aurigas coloribus idololatriae uestierunt.*	5 *Colores autem in vicem temporum quadrifaria divisione fundnntur:*	317 *tempora continui signantes quattuor anni, in quorum speciem signis numerisque modisque aurigas totidem. totidem posuere colores*
5. (I 11, 13) *namque initio duo soli fuerunt, albus et russeus.*		320 *et fecere duas studia in contraria partes. ut sunt aestivis brumalia frigora flammis.*

Isidori Etym. l. XVIII Migne.

36, 1 *Quadrigae et bigae, trigae et sejugae ab equorum numero et jugo dictae. Ex quibus quadrigas soli, bigas lunae, et trigas inferis, sejugas Iovi, desultores Lucifero, et Hespero sacraverunt.*

5. *Quadrigas ideo soli iungunt, quia per quatuor tempora annus vertitur, ver et aestatem, autumnum et hyemem.*

, 2 *Aurigae autem duobus coloribus sunt . . . am prasinus terrae, venetus coelo et mari a ganis dicatus est.*

Lydi De mens. l. Wuensch

p. 4, 5 *Οἰνόμαος . . . (δὲ) ἦγε τὸν ἱππικὸν ἀγῶνα . . . καὶ αὐτὸς μὲν ἐφόρει χλοανὸν ἤγουν πράσινον ὑπὲρ τῆς γῆς· ὁ δὲ ἀνταγωνιζόμενος βένετον ὑπὲρ τῆς θαλάσσης.*

Malalae chronogr. Dind.

p. 175, 16 *Ὁ δὲ Ῥῶμος βασιλεὺς πρὸς τιμὴν καὶ αὐτὸς τοῦ Ἡλίου καὶ τῶν ὑπ' αὐτὸν τεσσάρων στοιχείων τὸν ἀγῶνα ἐν τῇ Ῥώμῃ πρῶτος ἐφεῦρε, καὶ ἐπετέλεσεν ἐν τῇ χώρᾳ τῆς δύσεως, ἤτοι τῆς Ἰταλίας, ἅρμασι τετραπώλοις* (cfr p. 173, 3 sqq.).

p. 173, 12 *Οἰνόμαος (δὲ) ἀγῶνα ἐπετέλει . . . καὶ ὅτε μὲν ὁ κλῆρος ἐκάλει τὸν Οἰνόμαον ἀγωνίσασθαι ὑπὲρ τοῦ Ποσειδῶνος, ἐφόρει σχῆμα ἱματίων κυανῶν, ὅ ἐστι τῶν ὑδάτων,*

Tert. De spect. l. c. IX	Cassiod. Var. III 51	Coripp. In laud. Iustin. l. I
6. (I 11, 14) *albus hiemi ob niues candidas,*	5 *albus pruinoso autumno,*	328 *aequiperans candore niues hiemisque pruinam albicolor viridi socio coniungitur una.*
7. (I 11, 15) *russeus aestati ob solis ruborem uoti erant.*	Ib. *russeus aestati flammeae,*	324 *russeus aestatis, rubra sic veste refulgens ut nonnulla rubent ardenti poma colore:*
8. (I 11, 16) *sed postea tam uoluptate quam superstitione prouecta*		
9.		
10. (Ib.) *russeum-alii Marti,*		
11. (I 11, 17) *alii album Zephyris consecrauerunt,*		
12.		
13. (Ib.) *prasinum uero Terrae matri*		
14. (I 11, 18) *uel uerno*	Ib. *prasinus virenti verno*	322 *nam viridis veris, campus ceu concolor herbis, pinguis oliva co-*

Isid. Etym. XVIII	Lyd. De mens. l. Wuensch	Malalae Chronogr. Dind.
		καὶ ὁ ἀνταγωνιζόμενος . . . ἐφόρει τὸ χλοῶδες σχῆμα, ὅ ἐστι τῆς γῆς.
41, 1. *Albos (equos) hiemi (currere voluerunt), quod sit glacialis, et frigoribus universa canescant;*	p. 90, 2 οἱ δέ φασι . . . λευκὸν . . . τὸν χειμῶνα.	
. . . *roseos aestati . . ., quod ignei coloris sint, et cuncta tunc flavescant.* (Cfr test. 9).	p. 90, 3 ῥούσιον δὲ τὸ θέρος,	
41, 1 *Circa causas quoque elementorum iidem gentiles etiam colores equorum junxerunt,*	p. 89, 17 διὰ δὲ τὰ τέσσαρα στοιχεῖα ἐποίησαν τέσσαρας τοὺς ἀγῶνας·	p. 175, 20 καὶ ἐπέθηκεν ὁ Ῥῶμος τοῖς αὐτοῖς τέτρασι στοιχείοις τὰ ὀνόματα,
roseos soli, id est, igni	p. 89, 23 ῥούσιοι μὲν ἀνέκειντο πυρὶ διὰ τὸ χρῶμα	175, 23 τῷ δὲ πυρὶ τὸ Ῥούσιον μέρος,
41, 2 *Item roseos Marti sacraverunt, a quo Romani exoriuntur, et quia vexilla Romanorum cocco decorantur,*	p. 89, 7 καὶ οἱ μὲν ῥουσσάτοι ἠξίουν τοῦ Ἄρεως εἶναι, (cfr p. 89, 21).	
Albos zephyris et serenis tempestatibus,	89, 8 οἱ δὲ λευκοὶ τοῦ Διός	
41, 1 *albos aeri . . . assimilantes*	89, 20 δεύτερον τὸ λευκὸν διὰ τὸν ἀέρα	176, 1 τῷ δὲ ἀέρι τὸ Ἄλβον μέρος, ὡς λευκόν·
41, 2 *prasinos flori et terrae*	90, 1 πράσινοι γῇ διὰ τὰ ἄνθη· 89, 8 οἱ δὲ ἀνθηροὶ τῆς Ἀφροδίτης.	175, 21 τῇ γῇ τὸ Πράσινον μέρος, ὅ ἐστι τὸ χλοῶδες
41, 1 *veri prasinos viridi colore, quia tunc pampinus densatur*	90, 2 οἱ δέ φασι πράσινον . . . τὸ ἔαρ,	176, 2 ἐκάλεσε δὲ τὸ Πράσινον μέρος, ὅ ἐστι ῥωμαϊστὶ τὸ ἐμπαράμονον, πραι-

Tert. De spect. IX	Cassiod. Var. III 51	Coripp. In laud. Iustin. I. 1
		mis, luxu nemus omne virescit;
15. (I 11, 18) *uenetum Caelo et Mari*		
16. Ib. *uel autumno*	5 *venetus nubilae hiemi . . . dicatus est.*	326 *autumni venetus, ferrugine dives et ostro, maturas uvas, maturas signat olivas;*
17. (I 11, 19) *cum autem omnis species idololatriae damnata sit a deo, utique etiam illa damnatur, quae elementis mundialibus profanatur.*		

Colores igitur quattuor illos, quibus non solum tunicae aurigarum, sed forsitan etiam cristae, quas equi gestabant, currusque factionum singularum distincta erant [1]), Tertullianus aliique, quos supra adhibuimus, scriptores docent inter anni tempora, elementa [2]), numina [3]) ita divisos fuisse, ut albus hiemi aëri Zephyris vel Iovi, russeus aestati igni Marti, prasinus veri terrae Veneri, vene-

---

[1]) Pollack apud Pauly-Wissowa R-E VI p. 1954. Meier ib. I p. 823: Agitator Friedl. Sitteng. II⁸ p. 338. Quos colores cuiusque factionis aurigae gestaverint, diserte exposuerunt Huebner, Ann. dell' Inst. 1863 p. 167 sqq., Artaud, Descr. p. 7., Laborde, Descr. p. 46 Quibus ex locis et imaginibus coloratis, cum satis pateat tunicas aurigarum factionis colorem indicasse, cetera vero vestimenta ornamentaque alios colores ostendisse, facile perspicitur, quare Tert. haec dixerit de aurigis: De spect. XXIII (I 23, 13) *an deo placebit auriga ille . . . coloratus ut leno*; ib. XXX (I 29, 9) *tunc spectandus auriga in flammea rota totus ruber.*

[2]) Locum, quo quibus elementis russei prasini albi essent consecrati Lydus indicavit Wuenschius p. 89, 23 sic edidit *ῥούσιοι μὲν ανέκειντο πυρὶ διὰ τὸ χρῶμα, ὁμοίως πράσινοι γ*

Isid. Etym. XVIII	Lydi De mens. l. Wuensch	Malalae Chronogr. I Dind.
		σεντεύειν γὰρ λέγεται τὸ παραμένειν, διότι ἡ χλοώδης γῆ διὰ παντὸς ἵσταται σὺν τοῖς ἄλσεσι.
41, 2 *venetos aquis, vel aeri, quia ceruleo sunt colore;*	p. 89, 21 καὶ τετάρτην, ἄρτι προσληφθεῖσαν Κρόνῳ ἢ Ποσειδῶνι· ἑκατέροις γὰρ τὸ κυανοῦν προσνενέμηται. p. 90, 3 βένετον δὲ τὸ φθινόπωρον	175, 22 τῇ δὲ θαλάσσῃ, ὅ ἐστι τοῖς ὕδασιν, τὸ Βένετον μέρος, ὡς κυανόν,
41, 3 *Sicque dum hac spectatione deorum cultibus atque elementis mundialibus profanantur, eosdem deos atque eadem elementa procul dubio colere noscuntur.*		

…s autumno aquis Caelo et Mari vel Saturno et Neptuno consecrati obtigerint. Haec colorum explicandorum ratio unde exorta sit et quo pertineat quo planius perspiciatur, alios locos, qui spectant ad circum, ex isdem scriptoribus sumptos inter se comparabimus.

…α τὰ ἄνθη, βένετοι Ἥρᾳ, λευκοὶ δὲ ὕδατι. Quo loco cum venetum tribuatur Iunoni, album …uae, quamvis ante apud eundem illum scriptorem album (p. 89, 20) ascriptum sit aeri, vene…m (p. 89, 22) Saturno vel Neptuno, membra ultima sic amendanda nobis persuasimus: λευκοὶ …ρι, βένετοι δὲ ὕδατι; cfr Ioann. Antioch. fr. 31; Chronicon pasch. I p. 208, 15 Dind. Ce…enus I p. 258, 19 Bekk. Item in locis ex Cassiodoro sumptis, quos in colorum testimoniis 6 et …adhibuimus, ut vocabula *hiemi* et *autumno* alterum in alterius locum transferatur monent …aeter locos appositos attributa cum iis coniuncta.

[3]) Hos deos factiones num quando ut praesides suos sacrificiis aliisque caerimoniis servaverint incertum est, quoniam de ea re tacent scriptores.

Cassiodor.	Coripp. In laud. Iustin. l. 1	Isidor. Etym. XVIII
18. Var. III 51, 4 *Sed mundi dominus ad potentiam suam opus extollens mirandam etiam Romanis fabricam in vallem Murciam tetendit Augustus, ut immensa moles firmiter praecincta montibus contineret, ubi magnarum rerum indicia clauderentur.* 5. *sic factum, ut naturae ministeria* (mysteria *Meyer*) *spectaculorum composita imaginatione luderentur.*		29. 2 *Fingunt autem circensia Romani ad causas mundi referri, ut sub hac specie superstitiones vanitatum suarum excusent.*
19.	330 *ipse ingens circus, pleni ceu circulus anni, clauditur in teretem longis anfractibus orbem*	36, 3 *Ideo autem rotis quadrigas currere dicunt, sive quia mundus iste circuli sui celeritate transcurrit, sive propter solem, quia volubili ambitu rotat. sicut ait Ennius: Inde patefecit radiis rota candida coelum.*
20.		
21. Ib. 8 *euripus maris vitrei reddit imaginem, unde illuc delphini aequorei aquas influunt.*		
22. Ib. 8 *obeliscorum quoque prolixitates ad caeli altitudinem sublevantur, sed potior Soli, inferior Lunae dicatus est, ubi sacra priscorum Chaldaeicis signis . . . indicantur.*	332 *amplectens geminas aequo discrimine metas et spatium mediae, qua se via pandit, harenae.*	31, 2 *Medio autem spatio ab utraque meta constitutus obeliscus, fastigium summitatemque coeli significat, cum sol ab utroque spatio medio horarum discrimine transcendit.*

Lyd. De mens. l. Wuensch.

p. 88, 19, ὅτι ἀγὼν καὶ ἀγωνία ὁ τόπος λέγεται διὰ τὸ κυκλοτερές, παρὰ τὸ μὴ ἔχειν γωνίαν, ἧς εἰς τύπον καὶ στέφανοι κυκλοτερεῖς τοῖς νικῶσιν ἐπετίθεντο.

p. 5, 13 ἐστὶ δὲ ἡ γῆ, φέρουσα τὴν θάλασσαν

p. 4, 26 τὸ δὲ μέσον αὐτοῦ ἐποίησε ξυλουργές, ὀνομάσασα [ταύτην τὴν κρηπῖδα] Εὔριπον, ἐκ τοῦ θαλαττίου ἴσως Εὐρίπου καὶ τῆς ἑπτάκις αὐτοῦ διαυλοδρομίας, ἐπειδὴ κἀκεῖνος ἑπτάκις τῆς ἡμέρας ἀντιστρέφει τὴν κίνησιν.

p. 5, 3 καὶ πυραμὶς δέ ἐστιν ἐν μέσῳ τῷ σταδίῳ, ἡ δὲ πυραμὶς Ἡλίου, ἐπεὶ ἄσκιος ἐγγὺς ὁ τοιοῦτος βωμός· πάντων γὰρ τῶν οὐρανίων φωσφόρων σωμάτων σκιὰν ἀποτελούντων αὐτὸς μόνος ἔξω ταύτης ἐστί.

Malalae Chronogr. VII Dind.

p. 175, 5 (Ὁ Χάραξ) συνεγράψατο καὶ ταῦτα, ὅτι τοῦ ἱπποδρομίου τὸ κτίσμα εἰς τὴν τοῦ κόσμου διοίκησιν ᾠκοδομήθη, τοῦτ' ἐστὶ τοῦ οὐρανοῦ καὶ τῆς γῆς καὶ τῆς θαλάσσης.

p. 175, 10 τὸ δὲ πέλμα τοῦ ἱππικοῦ τὴν γῆν πᾶσαν εἶναι,

p. 175, 11 τὸν δὲ εὔριπον τὴν θάλασσαν ὑπὸ τῆς γῆς μεσαζομένην.

Cassiod.	Isid. Etym. XVIII
23. Var. III 51, 4 *bis sena quippe ostia ad duodecim signa posuerunt.* 5. (Colores quattuor anni temporibus dicati sunt,) *ut quasi per duodecim signa digrediens annus integer signaretur.*	
24. Ib. 7 *ipsae vero metae secundum zodiacos decanos ternas obtinent summitates, quas ad instar solis quadrigae celeres pervagantur. Eae* (W. Meyer) *Orientis et Occidentis terminos designant.*	30, 1 *Metarum quippe appellatione proprie terminum ac finem mundi designari volunt, ab eo quod alicui emensus finis est, sive ad testimonium orientis occidentisque Solis.*
25. Ib. *septem metis certamen omne peragitur in similitudinem hebdomadis reciprocae.*	37, 1 *Septem spatia quadrigae currunt, referentes hoc ad cursum septem stellarum, quibus mundum regi dicunt, sive ad cursum septem dierum praesentium, quibus peractis vitae terminus consummatur, quorum finis est creta, id est, judicium.*
26.	

Lyd. De mens. l. Wuensch.

p. 5, 15 δώδεκα δὲ ὕσπληγγες κατὰ μίμησιν τῶν δώδεκα ζῳδίων.

p. 88, 22 οἱ δὲ τρεῖς ὀβελοὶ τὴν τρίστοιχον φύσιν δηλοῦσιν, ὕδατος πυρὸς γῆς· ἐπ' αὐτῶν γὰρ καὶ μόνων ὁ θάνατος τὴν ἐνέργειαν ἔχει. ὅθεν καὶ τρικάρηνον ὁ μῦθος δίδωσι τῷ Πλούτωνι κύνα, ἀντὶ τοῦ τρίστοιχον· ὁ γὰρ ἀὴρ ζωοποιός ἐστι. διὰ τῶν ὀβελῶν οὖν δηλοῦται, ὡς πρὸς τιμὴν τῶν ὑπὲρ πατρίδος ἀποθνησκόντων τὴν ἀγωνίαν ἐπετέλουν, τριῶν ἁρμάτων καὶ οὐ τεττάρων ἁμιλλωμένων ἐπὶ τῆς ἱπποδρομίας· οἱ μὲν ῥουσσάτοι οἱονεὶ ἐρυθροί, οἱ δὲ ἀλβᾶτοι οἱονεὶ λευκοί, οἱ δὲ βίριδες οἱονεὶ ἀνθηροί, πρασίνους δὲ αὐτοὺς νῦν προσαγορεύουσι.

p. 6, 7 οὐ πλέον δὲ τῶν ἑπτὰ κύκλων, οὓς σπάτια οἱονεὶ στάδια καὶ μίσους ἀντὶ τοῦ ἄθλους, περὶ τὴν πυραμίδα, ἣν νῦν ὀβελὸν καλοῦσι, διεπληκτίζοντο οἱ ἀγωνισταὶ διὰ τὸ ἑπτὰ στάδια εἶναι τὸ μίλιον καὶ διὰ τὸ τοσούτους εἶναι τοὺς τῶν πλανήτων πόλους, οὓς Χαλδαῖοι στερεώματα καλοῦσιν, ἄνευ τοῦ σεληνιακοῦ, διὰ τὸ μέχρις αὐτοῦ διήκειν τὸ τοῦ παντὸς ὑλικοῦ σκύβαλον κατὰ τὸ λόγιον.

Malalae Chronogr. VII Dind.

175, 8 τὰς δὲ δεκαδύο θύρας τοὺς δώδεκα οἴκους ἱστόρησε τοῦ ζωδιακοῦ τοῦ διοικοῦντος τὴν γῆν καὶ τὴν θάλασσαν καὶ τῶν ἀνθρώπων τὸν παροδικὸν τοῦ βίου δρόμον.

175, 12 τὸν δὲ ἐπὶ τὰς θύρας καμπτὸν τὴν ἀνατολήν, τὸν δὲ ἐπὶ τὴν σφενδόνην τὴν δύσιν.

p. 175, 13 τὰ δὲ ἑπτὰ σπάτια τὸν δρόμον καὶ τὴν κίνησιν τῆς ἀστρονομίας τῶν ἑπτὰ ἀστέρων τῆς μεγάλης ἄρκτου.

---

p. 6, 14 τέσσαρσι δὲ καὶ εἴκοσι βραβείοις τὸν πάντα συνετέλουν ἀγῶνα διὰ τὸν ἐν πυραμίδι λόγον· δυοκαίδεκα γὰρ γωνίας ἡ πυραμὶς ἐπιδέχεται, τουτέστι στερεὰς τέσσαρας, ὧν ἑκάστη ἐκ τριῶν· δὶς δὲ τὸν δώδεκα ἀριθμὸν εἰς δύο τέμνονες τὸν τῆς ἡμέρας καιρὸν ἔτι καὶ νῦν τελοῦσι.

Locis supra allatis diversae circi partes actusque ipsi ludorum cum ad similitudinem totius mundi exstructa et instituta esse fingantur [1]), non est dubium, quin ex mathematicorum [2]), qui dicuntur, arte et philosophorum scholis profecta sit illa disciplina. Namque isdem, quibus astrologi, et sententiis et verbis utuntur scriptores, quorum locos supra contulimus. Sol et luna [3]) exhibentur, quattuor stellae, Iuppiter, Venus, Saturnus, Mars [4]) nominantur, septem stellis mundus regi dicitur, colores explicantur; [5]) obeliscus cum caeli fastigio, harena cum terra, euripus cum aqua compo-

---

[1]) Eandem inter circi mundique singulas partes intercedere rationem exposuit poëta in Anthologia Lat. I 197, 1 Riese: *Circus imago poli, formam cui docta uetustas Condidit et numeros limitis aetherei.*

[2]) De mathematicis eorumqne loctrina cfr A. Bouché-Leclercq, l'Astrologie grecque 1899. Lenormant apud Daremberg — Saglio Dict. I 1094: Chaldaei. Riess apud Pauly-Wissowa R-E II 1802 sqq. Max Uhlemann, Grundzüge der Astronomie u. Astrologie 1857.

[3]) Quae proprie ab astrologis τὰ φῶτα, οἱ φωστῆρες appellantur. Luna, cuius imago Tertulliani aetate deerat circo, donec alter obeliscus ibi ab Constantio (Huelsen Top. p. 132) collocaretur, nondum ab illo nominatur, neque Cassiodoro excepto ab aliis quos supra inter se comparavimus scriptoribus adhibetur. Cfr Bouché-Leclercq, ib. p. 88 sqq. Riess ib. p. 1803. Cfr test. 3 et 22.

[4]) Quod inter planetas Venus, cui prasinus color erat dedicatus, pro stella benivola (cfr Bouché-Leclercq, ib. p. 499. Uhlemann, ib. p. 62) habebatur, eam puto causam fuisse, cur plurimi principes, Caligula Nero Domitianus, quorum de studiis mathematicis cfr Bouché-Leclercq ib. p. 555 sq. et Riess ib. p. 1819, L. Verus Commodus Heliogabalus aliique homines prasinam factionem amplecterentur. Cfr Friedl. Sitteng. II[6] 339. Cfr test. 13 ex Lydo sumptum et n. sq.

[5]) De coloribus quae disputaverunt mathematici Bouché-Leclercquius collegit libri supra commemorati p. 313 sqq. Ex locis ibi allatis et ex iis, quos Uhlemannius libri, quem supra nominavimus, p. 75 sq. attulit, patet *rubrum* colorem pertinere ad *Martem* ipsum eiusque domicilium Scorpionem, *album* ad *Iovem* ipsum, *prasinum* ad *Veneris* domicilium, quae erat Libra, *caeruleum* ad *Saturni* domicilium, qui erat Capricornus. De hominum coloribus disseruit Firm. Maternus Math. l. I 10. Reliquos eiusdem scriptoris locos, ubi de coloribus disseruit, ut consulerem, Pruckneri editione frustra quaesita mihi non contigit. — Anthol. Lat. I 197, 5 R. *tempora cornipedes referunt, elementa colores.* Cfr test. 5—7, 9—16.

nitur [1]); carceres circi duodecim signis [2]), metarum ternae columnae zodiacis decanis [3]), ipsae metae orientis occidentisque terminis [4]), septem cursus diebus hebdomadis vel septem stellis [5]), viginti quattuor missus diei noctisque horis [6]) respondere existimantur; de cardinibus [7]) denique et domiciliis [8]) agitur. Quae quamquam plurima ad mathematicorum interpretationes nimis callidas sunt referenda, id quod adfirmatur ab Cassiodoro, qui (Var. LI 6) de biga et luna, quadriga et sole, equis desultoriis et lucifero inter se comparatis ita iudicat: *sic accidit ut, dum se colere putarent*

[1]) Anthol. Lat. I 197, 13 sq. R. *iamque his Euripus quasi magnum interiacet aequor Et medius centri summus obliscus adest.* Cfr test. 20—22.

[2]) Ib. v. 3 *Nam duodenigenas ostendunt ostia menses.* Firm. Matern. Math. l. II 1, 1 Skutsch: *Zodiacus orbis, in quo duodecim signa infixa sunt, per quem quinque planetae, Sol etiam et Luna cursus suos dirigunt, obliqua semper agitatione torquetur.* Cfr Bouché-Leclercq ib. p. 130 sqq. Cfr test. 23. Carceres in circo maximo priore iam aetate imperatoria XII fuisse numero docet Pollack apud Pauly-Wissowa R-E III 1582 sqq.

[3]) Firm. Matern. ib. II 4, 1 *Singula signa in tres partes dividuntur, singulae autem partes habent singulos decanos, ut sint in singulis signis terni decani, quorum singuli ex triginta partibus denas possident partes.* Cfr Bouché-Leclercq ib. p. 215 sq. Cfr test. 24.

[4]) Anthol. Lat I 197, 11 *Metarum tendunt circumdare cursibus orbes; Namque axes gemini ortum obitumque docent.* Cfr Bouché-Leclercq ib. p. 258 sq. Riess ib. p. 1804. Cfr test. 24.

[5]) Anthol. Lat. I 197, 15 *Septem etiam gyris claudunt certamina palmae, Quot caelum stringunt cingula sorte pari.* Lyd. De mens. II 4 p. 21, 1 Wuensch: *Ὅτι οἱ . . . Χαλδαῖοι καὶ Αἰγύπτιοι ἀπὸ τοῦ ἀριθμοῦ τῶν πλανήτων ἐν ἑβδομάδι τὰς ἡμέρας ἀνέλαβον.* Cass. Dio XXXVII 19. Bouché-Leclercq ib. p. 476 sqq. Cfr test. 25. E. Maass, Die Tagesgötter p. 166 sq.

[6]) Bouché-Leclercq ib. p. 478 sq. Cfr test. 26.

[7]) Anthol. Lat. I 197, 7 *Cardinibus propriis includunt septa quadrigas.* Firm. Matern. ib. II 15, 1 *In genituris cardines sunt quattuor, ortus occasus MC. IMC., quae loca a Graecis solent appellari his nominibus: anatole dysis mesuranima ypogeon.* M. Manil. Astron. II 788 Breiter: *ergo age, noscendis animum compone sagacem cardinibus, qui per mundum sunt quattuor omnes dispositi semper mutantque uolantia signa.* Cfr comment. Breiteri ad eundem locum. Cfr supra n. 4. Uhlemann ib. p. 61.

[8]) Firm. Matern. ib. II 2, 1 *Ex his duodecim signis Sol quidem et Luna singula sunt signa sortiti, ceteri vero quinque planetae idest Saturnus Juppiter Mars Venus Mercurius bina, in quibus singuli imperium habent ac domicilium constitutum.* Cfr Bouché-Leclercq ib. p. 182 sqq. Uhlemann ib. p. 64.

astra, religionem suam ludicra similitudine profanarent, et (LI 8) inscriptiones obeliscorum refert ad Chaldaeos, nonnulla tamen eiusmodi sunt, ut ne a philosophorum quidem scholis longe abhorreant. Quibus ex computationibus ad circum relatis quae doctrinae Chaldaeorum, quae philosophorum scholis sint adscribenda, etsi ex locis tam paucis profectus haud facile discernas, decanos tamen non solum in mathematicorum disciplina, sed etiam in philosophorum, qui hermetici appellantur, scholis, ursamque maiorem, cuius locis supra allatis meminit Malalas, apud philosophos, quos nominavimus, solos Riessius magni momenti fuisse docet[1]).

Ad eum consensum, qui summis in rebus inter omnes quos commemoravimus scriptores interest, animum advertentibus quaestio nobis offertur tractanda, num quid alii ex aliis sumpserint, an ex eodem fonte hauserint omnes. Quoniam Cassiodorus, cuius Variarum libri quattuor primi inter a. 507 et 511 scripti erant[2]), si Tertullianum primo extra quaestionem secludidimus, et Malalae[3]) Corippo[4]) Lydo[5]), quorum scripta inter a. 552 et 566 in lucem prodierant, et Isidoro, cuius etymologiae anno 636, quo mortem obiit, nondum confectae erant[6]), aetate antecessit, videndum est, num Cassiodoro reliqui vel omnes vel quispiam usi sint auctore. Cum Corippus v. 335 Pelopis meminerit, de quo nihil apud Cassiodorum reppereris, et Malalas Lydus Isidorus elementa in comparationem vocent, de quibus tacet Cassiodorus, ne unum quidem ex iis Cassiodori auctoritate nisos esse crediderim. Neque Lydus, quippe qui colores singulos ad certa quaedam numina et anni tempora, quorum nulla apud Malalam facta est mentio, referat, si quidem liber De mensibus aetate posterior est quam Chronographia Malalae, ex eo videtur hausisse. Corippus autem, quoniam

---

1) Pauly-Wissowa R-E II 1821. Stob. ecl. I 21, 9. T. I p. 131, 15 Meineke. Cfr Bouché-Leclercq ib. p. 324 sq.

2) Manitius, Gesch. der lat. Litt. des Mittelalters p. 40. Mommsen in editionis suae prooemio p. X.

3) Krumbacher, Gesch. d. Byz. Litt. 1891 p. 112.

4) Skutsch apud Pauly-Wissowa R-E IV 1237. Manitius ib. p. 168.

5) Hasii de Ioanne Lydo comm. in Bekkeri editione p. IX.

6) Manitius ib. p. 53 et 60.

de anni temporibus egit, quae Malalas omisit, easque res quas Lydus tantummodo obiter attigit fusius tractavit, ab utroque est secernendus. Maxime inter se consentiunt Lydus et Isidorus. Sed si locos, quibus Isidorus de circo tractavit, omnes in iudicium vocaveris, multa invenies apud eum, quae apud Lydum, quantum ex fragmentis iudicari potest, frustra quaesieris. Praeterea colorem album, quem Lydus Iovi attribuit, Isidorus ascripsit Zephyris. Accedit quod Graecae linguae peritum fuisse Isidorum viri docti negant [1]). Quibus rebus adductus societatem inter Lydum Isidorumque fuisse putaverim nullam.

Haec habuimus, quae de ratione inter Cassiodorum ceterosque scriptores supra commemoratos et inter eos ipsos singulos intercedente diceremus. Sequitur ut, quae inter Tertullianum ceterosque omnes intersit ratio, eruamus. Cassiodorum ex Tertulliano aliquid sumpsisse vix quisquam contendet, qui locos ex eorum scriptis sumptos inter se comparaverit. Namque Cassiodorus res exposuit multas, quae apud Tertullianum omnino desunt [2]). Corippus etsi in ea carminis parte, quam scripsit de anni temporibus et coloribus, cum Tertulliano consentit, in ea tamen, quae sequitur, ubi Pelopis meminit, ex uberiore fonte sua videtur hausisse [3]). Neque Lydo,

---

[1]) Maximilianus Klussmann, Excerpta Tertullianea (1892. — progr. Nr. 729) p. 6.

[2]) Cfr test. 18—25.

[3]) Corippi In laud. Iust. carminis I versum 334, quem alii aliter emendaverunt (cfr quem Petschenig editioni suae a. 1886 adiunxit appar. crit.), Petschenig Savaronem secutus recte videtur emendasse, ita ut lacunam eius loci vocabulo *Oenomaum* suppleret. Namque si tenemus Corippum non solum in rebus summis, quas modo inter se comparavimus, sed interdum etiam in singulis (cfr test. 14 ex Corippo Malala Lydo sumpta) consentire cum scriptoribus Byzantinis, manifestum est illum in eo quoque quem examinamus loco cum his consonare. Cfr qui maxime ex Byzantinis facit cum Corippo, scriptor chronici paschalis p. 207, 19 Dind. ὁ δὲ *Οἰνόμαος πρῶτος αὐτὸς ἐπετέλεσεν τὸν αὐτὸν ἱππικὸν ἀγῶνα ἅρμασι τεθραΐπποις* et p. 207, 10: *ὅστις Οἰνόμαος ἡττηθεὶς ὑπὸ Πέλοπος . . . ἐφονεύθη.* Quocum, si editionem Petschenigi sequimur, planissime consentit Corippus, qui rem ita tradidit: *Oenomaum referam primas iunxisse quadrigas et currus armasse novos, Pelopemque secundum in soceri venisse necem.*

ut qui album colorem tribuat Iovi, prasinum Veneri, elementaque nominatim adferat, quorum neque numinum neque elementorum seorsum mentio fit apud Tertullianum, eius liber De spectaculis suppeditabat, unde quae tradebat hauriret. Item Malalas, qui elementa sola cum coloribus comparat, et duodecim ostia, metas, septem cursus in comparationem vocat, alius cuiuspiam atque Tertulliani auctoritate nititur. Iam vero Isidorum, qui saepe Tertulliani ipsa verba sequitur [1]), nemo est qui neget alio quoque auctore usum esse, siquidem eum de circo fusius quam quemquam alium disputasse animadverterit.

Quos igitur scriptores, cum in magna consensione tantum inter se differant, ut eos alium ex alio sumpsisse non sit verisimile, necesse est omnes omissis iis rebus, quas ad suas quisque rationes minus quadrare censuerint [2]), reliqua, quae de circo ludisque circensibus referrent, eodem ex fonte hausisse. Neque, cum Suetonium sciamus a Tertulliano [3]) et Isidoro [4]) consultum fuisse, ceterorum quis fuerit auctor dubii haeremus. Quanta enim Suetonius apud christianae ecclesiae scriptores valuerit auctoritate [5]) cum inter omnes satis constet, Cassiodorum Corippum Lydum si existimaverimus ludicram eius historiam novisse, errare nobis non videmur. Malalas vero aliique, qui eadem atque ille de ludis circensibus memoriae prodiderunt, Byzantini, cum linguae Latinae vix fuerint periti [6]) atque addiderint, quae certe Suetonius numquam tradidit, Graecum quendam interpretem, videlicet Alexandrinum, quin sint secuti non est dubitandum.

---

[1]) Cfr Maximilianus Klussmann, Excerpta Tertullianea.

[2]) De Corippo cfr Skutsch apud Pauly-Wissowa R-E IV 1242, 20 sqq.

[3]) Reifferscheid, Suetoni rel. p. 463 sqq.

[4]) Suetoni auctoritatem ceteris in Isidori libris ostendit eminere Manitius, Gesch. der lat. Litt. des Mittelalt. I p. 57 et 63, atque in ea Originum parte, quae est de circo, suspicatur conspicuam esse Reifferscheid ib. p. 465.

[5]) Schanz, Gesch. der röm. Litt. III p. 64 sq.

[6]) Quae Dindorfius in prol. ad Ioannis Malalae chronographiae editionem (p. LXVII) de eius linguae Latinae scientia monuit, ea quadrant ad scriptorem chronici paschalis, quippe qui in eadem atque Malalas vitia ceciderit, quamquam ei, cum locum ex Malala exscriberet, si Latinae linguae peritus esset, ea licuit evitare.

Magna igitur cum probabilitate sententiae illae de rationibus, quae inter mundum et res circenses intercedere fingebantur, referuntur ad Suetonium. Etenim superstitione illa, quae per Chaldaeos ex Oriente in Graeciam et Italiam irrepserat maioremque ibi in dies favorem sibi vindicaverat [1]), Suetonium quis iure contenderit intactum fuisse? Immo vero Suetonio sicuti constat notissimam fuisse ipsam doctrinam mathematicam [2]), ita haud credibile est ignotam fuisse eam, quam astrologi inter circi mundique partes intercedere docuerunt rationem. Namque ab astrologis ipsis, qui praecipue in circo versabantur [3]), interpretationes illas inventas [4]) atque non solum inter infimos sed etiam inter summos, qui altero utique saeculo mathematicis favebant [5]), dispersas et pervulgatas

---

[1]) Cfr Bouché-Leclercq, l'Astrol. p. 546 sqq.

[2]) Cfr id. ib. p. 557 sq.

[3]) Iam Cicero (De divin. I 132) eius rei meminit: *non habeo . . nauci . . de circo astrologos.* Hor. Sat. I. 6, 113 sq. *Fallacem circum vespertinumque pererro saepe forum, adsisto divinis.* — Quam fallax hic locus fuerit, obiter commemorabo. Est enim nescio quo casu ab Huelsenio (Top. p. 126 n. 39), Pollackio (Pauly-Wissowa R-E III 2576, 23 sq.), Friedlaendero (Sitteng. II [8] p. 325 n. 4) convenienter sic notatus: *Sat.* I 6, 141. Item prior locus falso allatus apud Pollackium (ib.) et Huelsenium (ib.): *De divin.* I 158.

[4]) Consentaneum est mathematicos, qui omnia ad rerum universitatem referre consueverant, quattuor coloribus ductos primum de anni temporibus cogitasse atque deinde ad causas, unde vicissitudines illae annuae penderent, totiusque mundi rationes, quas ad circum referrent, animum attendisse.

[5]) Cfr Bouché-Leclercq ib p. 557 sqq. Riess apud Pauly-Wissowa R-E II 1819. De magna qua astrologi magique ineunte tertio p. Chr. saeculo valebant auctoritate testantur loci, quibus Tertullianus eos impugnavit, vel plurimi. Commemorantur enim *astrologi* De idol. 9 (I 38, 4. 16), De an. 25 (I 343, 17), Apol. 35 (O. I 247), Ad. Scap. 3 (O. I 544), De praescr. 43 (O. II 41); *astrologia* De idol. 9 (I 38, 17. 39, 11), De an. 31 (I 351, 18); *mathematici* De idol. 9 (I 38, 14. 15. 20. 39, 16), Adv. Marc. I 18 (III 313, 7), Apol. 43 (O. I 276); *Chaldaei* De idol. 9 (I 39, 13); *magi* De idol. 9 (I 38, 16. 39, 14), Ad. nat. II 6 (I 105, 17), De pud. 5 (I 227, 13), De an. 35 (I 360, 5), Apol. 22 (O. I 207), [23 (O. I 210)], 35 (O. I 247), 43 (O. I 276), De praescr. 43 (O. II 41), [Adv. Iud. 9 (O. II 722)]; *magia* De idol. 9 (I 38, 17. 39, 11), Scorp. 1 (I 144, 15), De an. 28 (I 348, 7), ib. 50 (I 381, 27), 57 (I 391, 19), Ad ux. II 5 (O. I 690); *magicae devinctiones* De spect. 2 (I 3, 10); *horoscopi* De pall. 3 (O. I 930); *climacterica* De idol. 9 (I 39, 19); *radius* ib. (I 39, 21); *stellarum arbitrium* De idol.

esse putaverim [1]. Testimonium huius doctrinae palam factae acceptaeque sunt clipei musivo Italico, quod tertii videtur saeculi opus fuisse, circumdati, in quibus genius veris colore prasino, aestatis russeo pictus repraesentati sunt. Tertius genius leporem pharetramque gestans num sit autumno an hiemi attribuendus ambigitur [2]. Quarti quoque genii imago videtur ibi delineata esse, quae temporum invidia deleta est [3].

Iam vero ad ipsos ludos veniemus, ut quomodo Tertullianus eos exhibitos, quomodo animos spectatorum iis adfectos esse tradat videamus. Qua in examinatione proficiscendum est nobis a loco, quem infra adhibebimus.

De spect. XVI (I 17, 22): (In circo) *proprie furor praesidet. aspice populum ad id spectaculum iam cum furore uenientem, iam tumultuosum, iam caecum, iam de sponsionibus concitatum. tardus est illi praetor, semper oculi in urna eius cum sortibus uolutantur. dehinc ad signum anxii pendent, unius dementiae una uox est. cognosce dementiam de uanitate: misit, dicunt et nuntiant inuicem quod*

---

9 (I 38, 9), *stellarum interpretes* ib. (I 38, 18), *stellarum interpretatio* De cult. fem. I 2 (O. I 703); *hypsoma, domicilium* Ad Scap. 3 (O. I 544): *anabibazon, maleficae* (sc. stellae), *Saturnus quadratus, Mars trigonus* Adv. Marc. I 18 (III 313, 5 sqq.), *stellaris* De pall. 6 (O. I 955); *Mercurius Trismegistus* Adv. Val. 15 (III 194, 12), *Mercurius Aegyptius* De an. 33 (I 356, 1). Cfr Ad. nat. II 5 (I 102, 21 sqq.), Scorp. 10 (I 168). De an. 57 (I 391, 12 sqq.).

[1]) Quantum in ludis circensibus instituendis ordinandisque apud Romanos valuerit doctrina mathematica etsi satis non liquet, verisimile tamen est Romanos posteriore utique aetate, cum doctrina illa imbuti essent, rationes mathematicorum ad res circenses accommodasse. Cur enim curricula *septem* voluerunt esse, cur missus *duodecim* vel *viginti quattuor* vel *triginta* vel *triginta sex?* Nonne ideo, quod in numeris illis constituendis animum ad numerum *stellarum, signorum* vel *horarum* diei et noctis, *terminorum, decanorum* re ipsa adverterunt?

[2]) M. A. C. de la Chausse in Graev. Thes. V p. 795, ubi de anni temporibus in antiquis numismatibus effictis disserit, puerum, qui leporem gestat dextra, laeva fructus, autumnum indicare dicit.

[3]) Cfr Laborde, Descr. p. 57 sq. imaginesque geniorum ibid. depictae. Friedlaender apud Marqu. Staatsverw. III² p. 519 n. 1. Novem Musae, quae in eodem musivo Italico depictae comparent, qua ratione sint cum *stellis* coniunctae, docet Bouché-Leclercq, l'Astrol. p. 324 n. 3.

simul ab omnibus uisum est. teneo testimonium caecitatis: non uident missum quid sit, mappam putant; sed est diaboli ab alto praecipitati figura. ex eo itaque itur in furias et animos et discordias et quicquid non licet sacerdotibus pacis. inde maledicta, conuicia sine iustitia odii, etiam suffragia sine merito amoris . . . sed circo quid amarius, ubi ne principibus quidem aut ciuibus suis parcunt?

Malum ludis circensibus proprium Tertullianus ait esse furorem[1]). Quem inde constat exortum esse, quod in tot partes, quot ludis intererant factiones, divisa erat tota civitas[2]). Quodsi animi hominum iam ideo varie movebantur, quod suae quisque factioni victoriam, damnum alienae exoptabant, magis etiam erigebantur sponsionibus[3]), quas Romani, ut mos in eiusmodi ludis nostra quoque fert aetate, ante ludos edendos facere solebant. De sponsionibus apud Petronium (c. 70) haec occurrunt: *nec contentus fuit* (cocus) *recumbere, sed . . . coepit . . . dominum suum sponsione*

---

[1]) De circi furore, clamoribus, insania saepe fit mentio apud scriptores, praecipue christianos. Cfr Tert. De spect. XVI (I 18, 17), Adv. Marc. I 27 (III 329, 4) *quid non frequentas tam sollemnes uoluptates circi furentis . . . ?* V 5 (III 586, 8) *plerumque id, quod continet, ponimus pro eo, quod continetur: 'circus clamauit' et 'forum locutum est' . . . id est qui in his locis rem egerunt.* Ad mart. II (O. I 8) *non clamoribus spectaculorum . . vel furore . . . celebrantium caederis.* De pud. VII (I 232, 21) *perit igitur et fidelis elapsus in spectaculum quadrigarii furoris.* De cult. fem. I 8 (O. I 711) *non tamen ideo circi furoribus . . . Christianum affici oportet.* Auson. epitaph. XXXIII 1 p. 84 Pei. *clamosi . . . circi.* Id. ecl. IV 10 sq. p. 92 Pei. *Hinc fora dissultant clamoribus, hinc furiosi iurgia sunt circi.* Hieronym. vita Hilarion. 2 (Migne T. 23 p. 31) *non circi furoribus . . . delectabatur.* Tert. Apol. XXXVIII (O. I 253) *Nihil est nobis dictu, visu, auditu cum insania circi.* Lact. Inst. VI 20 *Circensium quoque ludorum ratio quid aliud habet, nisi levitatem, vanitatem, insaniam.* Prudent. Hamartig. v. 360 *vesania fervida circi.*

[2]) Friedl. Sitteng. II[8] 339 sqq Factiones circenses transfert Tert. in Valentinianos Adv. Val. VII (III 185, 6) *ergo Bythos et Sige, Nus et Veritas prima quadriga defenditur Valentinianae factionis, matrix et origo cunctorum.* Cfr Apol. XXXIX (O. I 254) *negotia Christianae factionis.* De factionibus universis disserit Apol. XXXVII (O. I 252), XXXIX (O. I 266).

[3]) Friedl. ib. p. 350. Oehler p. 46 ad locum illum Tertullianeum: Sponsiones a spectatoribus fieri solebant . . . , cum unus agitatorem illum victorem pignore deposito fore diceret, alius eius adversarium contenderet.

provocare, 'si prasinus proximis circensibus primam palmam' [1]). Augebatur sollicitudo animorum, quod omnibus spectandi cupidine captis locum in circo non sufficere satis notum esset. Quo factum erat, ut diebus ludorum multis iam horis ante spectacula edenda plateae circo proximae plenae essent hominibus aditum cum tumultu exspectantibus [2]). Nihil homines animo agitabant, nihil optabant, nisi ut suae factionis victoriae testes fierent. Usque eo ludi, qui principio ad cultum deorum pertinebant, in voluptatem corrupti erant, usque eo mentes hominum, quorum maiores Sallustius ait religiosissimos fuisse mortales, a religione desuefactae, ut pompam, qua caerimoniae antiquae continebantur, Seneca diceret hominibus odiosam esse factam, quippe qua initium ludorum nimis diu detineretur [3]). Tantoque spectandi desiderio homines erant inflammati, ut vel praetor, cum supra carceres omnibus conspicuus suo in maeniano sedens [4]) sortes in urna iactaret, spectatoribus tardus teste Tertulliano videretur.

Sed quaenam res sorti fuerit committenda, iam videamus. Sortitio ludis circensibus facta videtur apud scriptores, qui eius rei meminerunt, pertinere ad loca [5]). Nam cum diversi car-

---

[1]) Iuv. XI 201 sq. *spectent iuvenes, quos clamor et audax sponsio, quos cultae decet adsedisse puellae.* Mart. XI 1, 13 sqq. *Sunt illic duo tresve, qui revolvant Nostrarum tinea ineptiarum, Sed cum sponsio fabulaeque lassae De Scorpo fuerint et Incitato.* Ovid. A. a. I 167 sq.

[2]) Friedl. ib. II [8] 351 sq.

[3]) Controv. I prooem. 24 *scio quam odiosa res mihi sit circensibus pompa.* Marqu. Staatsverw. III [2] p. 511.

[4]) Friedl. ib. 512. 'Editor ludorum in maeniano suo sedens conspicitur in musivis Lugdunensi (Artaud Descr.), Italico (Laborde Descr.), Barcinonensi (tab. III D adi.).

[5]) Donatus ad Verg. Aen. V 132 *Tum loca sorte legunt, ut fieri consuevit in circo; non est enim idem labor in singulis locis et inde sors adhibetur, ne sit in ordinatione contentio aut humanum iudicium gratia cuiuspiam transducatur.* Symmachi rel. IX 6 *malo fremitum Murciae vallis exponere atque illam quadrigarum distributionem, in qua sibi cum fortunatior videretur, cui electionem mox urna tribuebat, par vel potior erat, quem sors fecisset extremum.* Neque quidquam obstat, quominus loco, ubi Sidonius (Carm. XXIII 315 sq.) appellat agitatorem: *et iam te urna petit cietque raucae acclamatio sibilans coronae,* sortitionem ad locos referendam esse interpretemur.

ceres, unde agitatoribus erat evolandum in harenam, non aequam iis putarentur praebere condicionem, necesse erat sorte statuere, quis vel qui ex iis cuique factioni obtingerent [1]). Aliter de sortitione iudicaverunt Savaro [2]) eumque secuti posteriores, inter quos Oehler [3]) rem ita explicavit: *sortitione enim definiebatur, quinam ad cursum prodituri essent, et urna praetori ad manum erat, unde sorte educebantur agitatorum nomina.* Quibuscum cur faciam satis causae esse non video. Etenim, ut ad primum locorum testimonium pauca adiciamus, cum nullius magis quam uniuscuiusque factionis interesset, quis ex eius agitatoribus primo, quis ultimo certaret missu, eius rei iudicium quin sit factioni ipsi relicta, non est cur in dubio ponamus [4]). Sed qui cuique factioni obtingeret carcer, quippe quod ad omnes, quae certamini intererant, factiones aeque pertineret, quaestio erat eiusmodi, quae ita ut omnibus placeret nulla alia ratione nisi sortitione dirimi posset.

Ab sortitione carcerum oculi spectatorum ad signum ludis incipiendis dandum attenduntur [5]). Eam ex Tertulliano locisque aliis cognovimus fuisse mappam, quam editor ludorum ex maeniano suo in harenam deicere solebat [6]). Maximoque in ludos odio ut erat incensus, Tertullianus signum illud persuadet ipsum esse diabolum

---

[1]) Item Friedlaender apud Marqu. III [2] 513 n. 1, et Pollack apud Pauly-Wissowa, R-E III 1585. Non solum quem quisque agitator caperet carcerem, sed etiam quonam missu certaret, putat A. Hirt (Die Gesch. d. Baukunst III p. 140) sortitione esse constitutum.

[2]) Ad Sidonii carm. XXIII 315.

[3]) In editionis suae comment. ad Tert. De spect. XVI.

[4]) Ad quadrigarum ordinem, qui ab ipsa factione potius quam sorte constitutus esse videtur, Tert. alludit Adv. Val. VII (III 185, 6), ubi *de prima Valentinianae factionis quadriga* loquitur.

[5]) Cic. De div. I 48, 107 sq. *Apud Ennium est . . . : exspectant veluti, consul quom mittere signum volt, omnes avidi spectant ad carceris oras, quam mox emittat pictis e faucibus currus.*

[6]) CIL I [2] p. 257 ad Ian. 7 *prima consulis mappa, quae ideo sic vocatur, quia rex Tarquinius Romae, dum die circensium pranderet in circo, de mensa suam mappam foras, ut aurigis post prandium currendi signum daret, abiecerat.* Idem tradit de Nerone Cassiod. Var. III 51, 9 *Mappa vero, quae signum videtur dare circensibus, tali casu fluxit in morem. cum Nero prandium pro-*

de caelo praecipitatum [1]). Alio vero loco, ubi res ad circum spectantes enumerat, ut quales se Christianis in vita praebeant demonstret, signo commemorato tubam adicit [2]): *in his tibi circenses ludos interpretare, cursus saeculi intuere, tempora labentia, spatia peracta dinumera, metas consummationis exspecta, societates ecclesiarum defende, ad signum dei suscitare, ad tubam angeli erigere, ad martyrum palmas gloriare.* Quo loco cum hoc Sidonii (Carm. XXIII 339 sqq.) collato:

Tandem murmure bucinae strepentis
Suspensas tubicen vocans quadrigas
Effundit celeres in arva currus.

tuba quoque signum circensibus datum esse nemo est qui neget. Sed duo haec signa et mappa et tuba data qua ratione inter se congruerent, viri docti pensantes in contrarias partes discesserunt. Alii cum signum putarent mappa iam antiquitus datum esse [3]), tubae sonitum alii dixerunt prius fuisse sig-

---

tenderet et celeritatem, ut assolet, avidus spectandi populus flagitaret, ille mappam, qua tergendis manibus utebatur, iussit abici per fenestram, ut libertatem daret certaminis postulati. hinc tractum est, ut ostensa mappa certa videatur esse promissio circensium futurorum. Suet. Nero XXII 2 *uniuersorum se oculis in circo maximo praebuit, aliquo liberto mittente mappam unde magistratus solent.* Mart. Epigr. XII 29, 9 *Cretatam praetor cum vellet mittere mappam, praetori mappam surpuit Hermogenes.* Tert. Adv. Val. XXXVI (III 210, 12) *Quanto meliores qui totum hoc taedium de medio amoliti nullum Aeonem uoluerunt alium ex alio per gradus reuera Gemonios structum, sed mappa, quod aiunt, missa semel octoiugem istam ex Propatore et Ennoea eius excusam.*

[1]) Oehler ad Tert. De spect. XVI p. 46. d: *Alludit . . ad ea, quae sacris paginis traduntur de Satana, quem de caelo deus egit in tartara praecipitem.* In mappam vero praecipue ut odium Tertullianus tam acre verteret, ut in ea diabolum vellet conspici, inde putaverim effectum esse, quod mappa apud Romanos pro re sacra habebatur. Cfr Pottier apud Daremberg-Saglio III 1581.

[2]) De spect. XXIX (I 27, 28).

[3]) Pottier apud Daremberg-Saglio III p. 1594, qui huic sententiae iure repugnat, Cassiodori (Var. III 51) auctoritate nisus mappam non prius quam Neronis aetate pro signo ludis circensibus usurpatam esse putat. Quod ut coarguat, signum, de quo mittendo apud Ennium (Cic. De div. I 48), Livium (VIII 40), in Actis fratrum Arv. (Henzen p. 36 sq.) mentio est facta, negat mappam fuisse, sed quid fuerit, ipse ne conicit quidem. E. Saglio in lexico suo I p. 1195 tubam dicit non multo ante Sidonium et Cassiodorum in usum venisse.

num[1]). Sed inde quod Vergilius ludis navalibus[2]), quos testatur Donatus ad imaginem circensium compositos fuisse[3]), initium certaminis tubae sonitu factum esse finxit, cum satis appareat libera re publica tuba signum esse datum, neque usus mappae antiquiore aetate apud Romanos notus fuerit[4]), equidem tuba crediderim sola principio signum esse datum, postea vero utraque signa esse adhibita[5]), ita ut mappa deiecta editor veniam ludis incipiendis daret, sed tuba bucinator eam datam esse omnibus pronuntiaret.

Signo dato facile tibi persuaseris, qui tumultus inter spectatores sit exortus[6]), cum ii currus e carceribus exeuntes salutarent, cum suae quisque factionis agitatorem, si prior ceteris evasisset, acclamationibus laudarent et excitarent[7]), vel si restitisset, conviciis urgerent, vel si corruisset, maledictis increparent, cum alius pro hoc, alius pro illo agitatore summo impetu contenderent[8]). Ac de singulis curriculis consentaneum est tumultum

---

[1]) Savaro ad Sidonii Carm. XXIII 339.

[2]) Aen. V 139 *Inde, ubi clara dedit sonitum tuba, finibus omnes, haud mora, prosiluere suis.*

[3]) Ad. Aen. V 125.

[4]) Pottier ib. p. 1593.

[5]) E. Saglio ib. p. 1195 opinatur signum alterum datum esse, postquam currus ad lineam albam (Friedl. Sitteng. II[8] p. 357 n. 1) ordinati essent.

[6]) Sil. Ital. Pun. XVI 317 sq. *Iamque, ubi prolato sonuere repagula signo, Et toto prima emicuit uix ungula cornu, Tollitur in caelum furiali turbine clamor.* Lact. Inst. VI 20 *Tanto namque impetu concitantur animi in furorem, quanto illic impetu curritur, ut iam plus spectaculi exhibeant, qui spectandi gratia veniunt, cum exclamare, et efferri, et exsilire coeperint.*

[7]) Sil. Ital. ib. 320 *Pronique ac similes certantibus ore secuntur Quisque suos currus magnaque uolantibus idem Uoce locuntur equis. quatitur certamine circus Certantum, ac nulli mentem non abstulit ardor. Instant praecipites et equos clamore gubernant.*

[8]) Tert. De spect. XXV (I 25, 2) *pacem, opinor, habebit in animo contendens pro auriga.* Id. De carne Chr. VII (O. II 441) *si forte . . . de . . aurigis contendens tali nuntio avocareris, nonne dixisses . . ?* Cassiod. var. III 51, 11 *hoc tamen dicimus omnimodis stupendum, quod illic supra cetera spectacula fervor animorum inconsulta gravitate rapiatur. transit prasinus, pars populi maeret: praecedit venetus et ocius turba civitatis affligitur. nihil proficientes ferventer insultant: nihil patientes graviter vulnerantur et ad inanes contentiones sic disceditur, tamquam de statu periclitantis patriae laboretur.*

cum laetitia et ira accrevisse[1]), quoad septimo curriculo facto clamores gaudentium conviciis maledictisque iratorum commixti ex circo totam per urbem usque ad suburbanum effusi sunt[2]).

Hunc tumultum Tertullianus vitio tribuit agitatoribus, quos ita[3]) carpit: *an deo placebit auriga ille tot animarum inquietator, tot furiarum minister, tot * * * status, ut sacerdos coronatus uel coloratus ut leno, quem curru rapiendum diabolus aduersus Elian exornauit?* Lacunam, quam signavit E. Klussmannus[4]), sic replendam esse putaverim: *(superstitionibus ince)status.* Quibus verbis Tertullianus mihi videtur in mentem revocare superstitiones magicas, ad quas aurigae, ut se ipsos a fascinationibus defenderent vel aemulos suos vexarent, solebant confugere[5]).

Sed alias quoque causas, unde in circo tumultus orerentur, fuisse docet Tertullianus, cum ibi neque civibus neque principibus parci dicat. De hac consuetudine, quae erat Romanis, ut in circo non solum cives suos sed etiam Caesares, si quid in eis improbarent, contumeliosis vocibus dirisque precibus carperent, et Tertullianus mentionem facit denuo in primi Ad. nat. libri c. XVII (I 89, 6) *agnoscimus sane Romanam in Caesares fidem . . . uanitatis sacrilegia conueniam . . . atque maledicta quae circi sonant,* et alii scriptores testimonia dant plurima, quae quidem ad ipsius Tertulliani aetatem conferuntur[6]). Atque novam furoris comminationis-

---

[1]) Friedl. ib. p. 358 sq.

[2]) Rutil. Namat I 201 sq. *Saepius attonitae resonant Circensibus aures: Nuntiant accensus plena theatra favor.* Iuv. XI 197 *totam hodie Romam circus capit, et fragor aurem percutit, eventum viridis quo colligo panni.*

[3]) De spect. XXIII (I 23, 13). — De auriga praeterea fit mentio De an. LIII (I 385, 22 sqq.).

[4]) Tert. lib. de spect. p. 44: 27, 7.

[5]) Friedl. ib. p. 350 sq. Testimonia devotionum, quae inter aurigas usu venerant, edidit Wuenschius, Sethianische Verfluchungstafeln 1898, ubi cfr p. 68. 71 sq. 75 sq; Mus. Rhen. LV (1900) p. 248 nr. 15. Item Buecheler, Mus. Rhen. XLV (1890) p. 330. Cfr praeterea Ammian. Marc. XXVI 3, 3. XXVIII 1, 27. 4, 25. — Tert. De spect. II (I 3, 10) meminit *magicae devinctionis,* De virg. vel. XV (O. I 906) *fascini,* quod dicit *infeliciorem laudis et gloriae enormioris eventum* esse: Id. De carne Chr. II (O. II 427) de *puero fascinando* loquitur. [6]) Friedlaender ib. p. 302 sqq.

que constat iis additam esse causam, cum Christianos male habere coepissent Romani [1]). Cuius Tertullianus meminit De idol. XIV (I 45, 20) . . . *totus circus scelestis suffragiis nullo merito nomen* (Christianum) *lacessit;* Scorp. X (I 168, 12) *Illic* (in caelo) *constitues . . . populos nationum cum suo quidem circo, ubi facile conclamant: usque quo genus tertium?*

B. De ludis scaenicis.

Tertullianus, cum ad ludorum scaenicorum apparatus artificiaque transit digerenda, ad communia ludorum horum et circensium initia causasque monet [2]) respondere communem eorum appellationem edendique rationem, quae cum re equestri in ludis scaenicis quoque principio cohaeserit: *Transeamus ad scaenicas res, quarum et originem communem et titulos pares secundum ipsam ab initio ludorum appellationem et administrationem coniunctam cum re equestri iam ostendimus.* Spectacula et in circo et in theatro data l u d o s proprie esse appellatos ex litteris docet Ritschelius elucere [3]). Sed cum re equestri ludi scaenici componi omnino non possunt, nisi ad notissimam illam respicias fabulam, quam de Thespide plaustrisque eius narrat Horatius [4]), vel eam, quam Augustinus Varronem secutus de initiis rerum scaenicarum tradit [5]). De similitudine vero, quae erat inter apparatus ludorum scaenicorum et circensium, Tertullianus haec rettulit: [6]) *apparatus etiam ex ea parte consortes, qua ad scaenam a templis et aris et illa infelicitate turis et sanguinis inter tibias et tubas itur duobus inquinatissimis arbitris funerum et sacrorum, dissignatore et haruspice.* Ludorum scaenicorum initium sacrificio factum esse quamquam, quod sciam, nemo ex scriptoribus diserte commemorat, ex iis tamen quae Mommsenius in Corpore Inscriptionum

---

[1]) Id. ib. p. 302.

[2]) De spect. X (I 11, 22).

[3]) Opuscula philol. vol. IV p. 637 sq.

[4]) Epist. II 3, 276.

[5]) De c. d. VII 21.

[6]) De spect. X (I 11, 25).

(I[2] p. 317) adnotavit ad Mai. 3, et quae Dionysius Hal. (II 19, 4) de ludis Megalensibus memoriae prodidit [1]), plane efficitur ludos illos, qui scaenicis praecipue spectaculis celebrabantur, Megalenses et Florales, nisi sacris factis non esse inceptos. Ture igitur et vino, qui mos valebat in sacrificiis, praebito hostiaque immolata [2]) pompa sollemnis a templis et aris dearum, quibus ludi erant consecrati, ad theatra tibiis tubisque canentibus [3]) procedebat. Sed ex iis, qui pompae intererant, Tertullianus nullos commemorat nisi dissignatorem [4]) et haruspicem [5]), quorum ex arbitrio pompam dicit iter suscipere. Haruspicis enim videtur fuisse extis hostiae inspectis iudicium de ludis edendis exhibere [6]), dissignatoris pompam ipsam instruere. Eosque Tertullianus ideo nominavit, ut ostenderet quam odiosa christianis deberet videri pompa illa, quae ex eiusmodi hominum arbitrio penderet. Nam dissignatores, quod teste Tertulliano arbitri erant funerum [7]), haruspices, quod pro vanis hariolis habebantur [8]), apud Romanos ipsos contempti sordebant. Iam vero artes, quae

---

[1]) Cfr p. 32 n. 3.

[2]) Tert. Apolog. XXX (O. I 233) . . . *ei offero . . . hostiam quam ipse mandavit, orationem de carne pudica, de anima innocenti, de spiritu sancto profectam, non grana thuris unius assis, Arabicae arboris lacrimas. nec duas meri guttas, nec sanguinem reprobi bovis.* Wissowa R. u. K. p. 352.

[3]) Cfr Preller-Jordan, Röm. Myth. I p. 296.

[4]) Cfr Pollack apud Pauly-Wissowa R-E V p. 1199 sq.

[5]) Wissowa R. u. K. p. 469 sqq.

[6]) De *haruspicatione* fit mentio in Actis lud. saec. septimorum. Cfr Eph. epigr. VIII p. 286, 78.

[7]) Dissignatores ex infimo hominum genere fuisse docet Lex Iulia munic. CIL I 206 v. 94 *Neve quis, quei praeconium dissignationem libitinamve faciet, dum eorum quid faciet, in municipio colonia praefectura IIvir(atum) IIIIvir(atum) aliumve quem mag(istratum) petito neve capito neve gerito neve habeto, neve ibei senator neve decurio neve conscriptus esto neve sententiam dicito.* Cfr eiusdem legis v. 104. Blümner, Privatalt. p. 491. Marqu. Staatsverw. I[2] p. 178 sq. et 179 n. 1. Dissignatorem tamen funerum docet Pollack ibid. discernendum esse a dissignatore theatri.

[8]) Prop. IV 13, 59 *atque utinam patriae sim vanus aruspex.* Cic. De div. I 58, 132 *non habeo . . . nauci . . . vicanos haruspices.* Ennius ib.: *superstitiosi vates inpudentesque harioli, aut inertes aut insani aut quibus egestas*

propriae erant scaenae, gestus et corporis flexus Libero et Veneri [1]) Tertullianus ascribit: [2]) *et est plane in artibus quoque scaenicis Liberi et Veneris patrocinium. quae priuata et propria sunt scaenae, de gestu et corporis flexu mollitiae Veneris et Liberi immolant, illi per sexum, illi per luxum dissolutis.* Quorum deorum propria cum dicatur esse mollitia, facile discernitur Tertullianum hoc loco de Libero illo Indico, deo orgiorum [3]), et de Venere Erycina, meretricum dea tutelari [4]), cogitasse. Quamquam ara, quae Libero dicitur in scaena consecrata esse [5]), Graecum et deum et morem in mentem revocat [6]). Reliquae artes scaenicae quibus numinibus sint attributae, Tertullianus sic indicat: [7]) *quae uero uoce et modis et organis et litteris transiguntur, Apollines et Musas et Mineruas et Mercurios mancipes habent.* Vocem modos organa litteras dicit Tertullianus a deis supra allatis mancipata esse, quoniam scilicet, ut infra enuntiat, ubi eos artium illarum auctores appellat, ab iis sunt inventa et ad homines delata. Constat enim Apollinem cum omnium artium litterarumque auctorem, tum musices saltationisque deum [8]), et ducem Musarum, quae ipsae litteris et arti-

---

imperat. Tert. Apol. XXX (O. I 234) . . . *cum hostiae probantur penes vos a vitiosissimis sacerdotibus, cum cuivis praecordia potius victimarum quam ipsorum sacrificantium examinantur.* Apol. XIII (O. I 166) Tert. haruspices comparat cum pollinctoribus, quos homines sordidissimos esse docet Blümner, Privatalt. p. 613; ib. XLIII (O. I 276) componit cum lenonibus, perductoribus, aquariolis, sicariis, venenariis, magis, hariolis, mathematicis, quos dicit iure de Christianorum sterilitate conqueri. Preller-Jordan, Röm. Myth. I p. 26.

[1]) Lact. Inst. VI 20 *Et primitus quidem venationes, quae vocantur munera, Saturno sunt attributae; ludi autem scenici Libero; circenses vero Neptuno.*

[2]) De spect. X (I 12, 24). De hoc loco cfr Salmasius De pall. p. 304.

[3]) Huius dei meminit Tert. Apol. VI (O. I 135) *Liberum patrem cum mysteriis suis consules senatus auctoritate non modo urbe, sed universa Italia eliminaverunt;* ib. (p. 136) *licet Baccho iam Italico furias vestras immoletis.* Cfr Wissowa in Rosch. lex. II p. 2028. Preller-Jordan, Röm. Myth. II p. 368.

[4]) Id. ib. I p. 446. 450.

[5]) Friedlaender apud Marqu. Staatsverw. III² p. 548.

[6]) Guhl u. Koner, Leben der. Gr. u. R.⁶ p. 240.

[7]) De spect. X (I 12, 27).

[8]) Wernicke apud Pauly-Wissowa II p. 16 sq.

bus scaenicis favebant [1]), et patronum artificum scaenicorum, qui se parasitos Apollinis appellabant [2]), Minervam tibiarum inventricem [3]), Mercurium facundiae [4]) et litterarum [5]) deum lyraeque [6]) inventorum fuisse.

De variis scaenicae artis generibus quid memoriae prodiderit Tertullianus nunc videamus. De spect. XVII (I 19, 20) fabulas dicit in duas partes distribui solitas esse: *satis praescribitur nobis et de illis speciebus spectaculorum, quae saeculari litteratura lusoriam uel agonisticam scaenam dispungunt.* Quarum altera parte, quae lusoria appellatur, Oehler [7]) ex verbis, quae sequuntur, recte collegit comoediam, altera, quae nuncupatur agonistica, tragoediam significari. Describuntur enim eodem loco utraque species ita: *quodsi sunt tragoediae et comoediae scelerum et libidinum actrices cruentae et lasciuae, impiae et prodigae, nullius rei aut atrocis aut uilis commemoratio melior est: quod in facto reicitur, etiam in dicto non est recipiendum.*

Tertullianea aetate ut constat comoedias Romae datas esse [8]), ita in dubium vocatur, tragoediis num ullus omnino hominum favor adfuerit [9]). Ad dubitationem illam si non solvendam, at tamen minuendam hunc locum velim adferre: [10]) *iam uero ipsum opus personarum quaero an deo placeat, qui omnem similitudinem uetat fieri, quanto magis imaginis suae? non amat falsum auctor ueritatis; adulterium est apud illum omne quod fingitur. proinde uocem sexus aetates mentientem, amores iras gemitus lacri-*

---

[1]) Bie in Rosch. lex. II 3238 sqq. Preller-Robert, Gr. Myth. I p. 490.

[2]) Wissowa R. u. K. p. 241.

[3]) Id. in Rosch. lex. II 2988.

[4]) Steuding ib. p. 2821 sq.

[5]) Tert. De cor. VIII (O. I 436) *Primus litteras Mercurius enarravit.* De test. an. V (I 141, 17) . . . *antequam litterae in saeculo germinassent, antequam Mercurius, opinor, natus fuisset.* Cic. De n. d. III 22, 56 *Mercurius . . . dicitur . . . Aegyptiis leges et litteras tradidisse.* Hygin fab. 277.

[6]) Steuding ib. Tert. De cor. ib. *nervos idem in sonum strinxit.*

[7]) Editionis suae maioris p. 49.

[8]) Friedlaender, Sitteng. II [8] p. 448 sq.

[9]) Id. ib. p. 452. [10]) De spect. XXIII (I 23, 23).

mas asseuerantem non probabit: omnem enim hypocrisin damnat. Videtur enim Tertullianus, cum de personis [1]) tractans agit de amoribus ira gemitu lacrimis, cogitare de tragoedia et comoedia et, cum eos qui tum erant christiani a voce sexu aetate mentienda deterrere studet, eas ambas ad suam aetatem referre.

Inter fabularum scriptores a Tertulliano commemorantur Neoptolemus tragoedus [2]), Sophocles [3]), Accius [4]), Epicharmus [5]), locique ex fabulis Menandri [6]) et Pacuvii [7]) exhibentur. Quibus ex locis ne Tertullianum conicias ipsum poëtas illos legisse, Geffckenius iure monet [8]). Hosidium vero Getam [9]), recentioris aetatis scriptorem, quem poëtamne scaenicum appellem dubito, Tertulliano haud ignotum fuisse testatur arbitrium magna rerum cognitione de eo [10]) factum: *vides hodie ex Vergilio fabulam in totum aliam componi, materia secundum versus et versi-*

---

[1]) De persona cfr Tert. De carn. Chr. XI (O. II 447).

[2]) De an. XLVI (I 376, 25) *Neoptolemus tragoedus apud Roeteum Troiae et sepulchrum Aiacis monitus in somnio ab ipso ruina liberatur, et cum lapidum senia deponit, diues inde auro redit.* Cfr Diodor. XVI 92.

[3]) De an. XLVI (I 376, 23) *Coronam auream cum ex arce Athenae perdidissent, Sophocles tragicus somniando redinuenit.* Cic. De div. I 25, 54.

[4]) Adv. Val. XII (III 191, 21) *Eum* (Iesum) *cognominant Soterem et Christum et Sermonem de patritis, et Omnia iam, ut ex omnium defloratione constructum: Gragulum Aesopi, Pandoram Hesiodi, Acci Patinam.*

[5]) De an. XVIII (I 326, 26) *meminerat scilicet* (Plato) *et Epicharmi comici: animus cernit, animus audit, reliqua surda et caeca sunt.* Ib. XLVI (I 377, 4), XLVII (378, 22).

[6]) De pall. IV (O. I 940) *Prorsus si quis Menandrico fluxu delicatam vestem humi protrahat, audiat penes se quod dicit comicus, Qualem demens iste chlamydem disperdit?* Ad ux. I 8 (O. I 681) *Convictus atque colloquia deo digna sectare, memor illius versiculi sanctificati per apostolum: bonos corrumpunt mores congressus mali.* Meineke, Fragm. com. Graec. IV fr. 218 *φθείρουσιν ἤθη χρησθ' ὁμιλίαι κακαί.* De Menandro, cuius fit mentio De an. L (I 381, 21) cfr Oehler ad locum illum et Harnack, Dogmengesch. I [4] p. 305 n. 2.

[7]) De pall. III (O. I 926) *Est et Quadrupes tardigrada, agrestis, humilis, aspera. Testudinem Pacuvianam putas?* Cfr Cic. de div. II 64, 133.

[8]) Kynika u. Verwandtes p. 99 et 117.

[9]) Cfr Schanz Gesch. d. röm. Litt. III [2] p. 44.

[10]) De praescr. XXXIX (O. II 37).

bus secundum materiam concinnatis. Denique Hosidius Geta Medeam tragoediam ex Vergilio plenissime exsuxit.

Ex fabularum titulis et argumentis, quorum Tertullianus meminit, etsi nonnulla nominatim adferuntur, in tanta tamen poëtarum, qui isdem et titulis et argumentis utebantur, multitudine difficile est diiudicatu, quam ex iis in animo habuerit. Exhibet autem Oedipoda [1]) et Thyestem [2]), alluditque ad Iphigeniam Tauricam, ad Medeam, ad Vinctum qui dicitur illum Promethea [3]). Universis vero tragoediis Tertullianus dicit argumenta fluxisse ex deorum aerumnis et erroribus [4]), ex magna, quae fuissent, erga infantes, non iusta uxore natos, crudelitate [5]), ex homicidio et adulterio, ex stupro denique et sanguinis mixtionibus [6]). Quibus

---

[1]) Ad. nat. I 16 (I 86, 15) *Persae . . . cum matribus libere faciunt. sed et Macedones id quoque probauerunt palam sese factitare, siquidem, cum primum scaenam eorum Oedipus intrauit trucidatus oculos, risu ac derisu exceperunt. tragoedus consternatus retracta persona, numquid, ait, domini, displicui uobis? responderunt Macedones: immo tu quidem pulchre, at scriptor uanissimus si finxit, aut Oedipus dementissimus si ita fecit: atque exinde alter ad alterum ἤλαυνε, dicebat, εἰς τὴν ματέρα.* Apol. IX (O. I 150). Ad nat. I 7 (I 70, 14). De illius fabulae scriptoribus cfr Welcker, Rhein. Mus. II 3 Suppl. 1841 p. 1490.

[2]) Ad nat. I 7 (I 70, 13) *tacent igitur et accepto ferunt, et nihil tragoediae Thyestae uel Oedipodis erumpunt, et non protrahunt ad populum.* Cfr Welcker ib. p. 1494.

[3]) Adv. Marc. I 1 (III 291, 14) *nihil illic nisi feritas calet, illa scilicet, quae fabulas scaenis dedit de sacrificiis Taurorum et amoribus Colchorum et crucibus Caucasorum.* Apol. IX (O. I 145) *Remitto fabulas Tauricas theatris suis.* Cfr Welcker ib. p. 1437. 1493. 1491. *Tragoediam Cerberi* (De cor. VII: O. I 432) puto ad quandam de Hercule fabulam (cfr Welcker ib. p. 1494) esse referendam, nisi vocabulum *tragoediae* illo loco translative est usurpata, ut certe est Ad nat. I 16 (I 87, 22).

[4]) Apol. XIV (O. I 169) *Nec tragici quidem aut comici parcunt, ut non aerumnas vel errores domus alicuius dei praefentur.* Ad nat. I 10 (I 79. 13).

[5]) Adv. Val. X (III 188, 12) *ubi enim iam tragoediae atque comoediae, a quibus forma mutuaretur exponendi quod citra pudorem erat natum?*

[6]) De pud. V (I 227, 11) *ego quoque homicidium nonnumquam moechiae elaboro. ut tragoedias omittam, sciunt hodie uenenarii, sciunt magi, quot pellicatus ulciscar, quot riualitates defendam, quot custodes, quot delatores, quot conscios auferam.* Ad nat. I 16 (I 87, 18).

adiciendus est locus, ubi dicit [1]) de fraternitate apud tragoedos esse dictitatum. Comicos demum commemorat solos De an. XX (I 332, 27): *comici Phrygas timidos inludunt* [2]), Valentinumque per metaphoram dicit [3]) *multas introduxisse fabulas.*

Fabulae Atellanae [4]) Tertullianus uno tantum loco inicit mentionem, sed ita ut id, quod Oscis illis iocis maxime proprium erat [5]), paucis verbis luculentissime exhibeat: [6]) *Atellanus (spurcitiam) gesticulatur.* Ex duobus illis poëtis [7]), qui summam inter Atellanarum scriptores adepti erant laudem, alterum obiter promit [8]) simul ad eius fabulas alludens: *pugil Cleomachus . . . inter Fullones* [9]) *iam Novianos coronandus.* Atellanos vero quod Tertullianus non saepius in iudicium vocat, altero nostri aevi saeculo testatur mimis concessisse magna de gratia, qua Hadriani etiam temporibus ut exodiarii floruerant [10]).

Cum Atellanis mimi [11]) magnam habebant similitudinem, si fabularum argumenta respexeris, quae in utroque scaenicae artis

---

[1]) Apol. XXXIX (O. I 262) *Sed eo fortasse minus legitimi existimamur, quia nulla de nostra fraternitate tragoedia exclamat.*

[2]) Haec verba ex Strabone (I 30 p. 47 Mein.) sumpta: δειλότερον δὲ λαγῶ Φρυγός Meineke ex comicis derivata esse putavit. Cfr Bothe, Comic. Graec. fr. 1855 p. 742, 196.

[3]) Adv. omn. haer. IV (III 219, 20).

[4]) Cfr Ribbeck, Gesch. d. röm. Dichtung I p. 209 sqq. Marx apud Pauly-Wissowa R-E II 1913 sqq. Friedl. Sittengesch. II [8] p. 440 sq. Reich, Mimus I p. 16. 65. 189. 497.

[5]) Iuv. Sat. VI 71 sq. *Urbicus exodio risum movet Atellanae gestibus Autonoes.* Ribbeck ib. p. 217. Marx ib. p. 1917. Osciae scurras Tert. commemorat Adv. Val. XII (III 191, 24) *quam propius fuit de aliquibus Osciae scurris — Pancapipannirapiam uocari a tam otiosis auctoribus nominum.*

[6]) De spect. XVII (I 18, 23).

[7]) Ribbeck ib. p. 210. Marx. ib.

[8]) De pall. IV (O. I 937).

[9]) Ribbeck ib. p. 213. De Cleomacho cfr Reich, Minus I p. 257.

[10]) Marx ib. p. 1921.

[11]) Cfr H. Reich, Der Mimus I 1903. Grysar, Der römische Mimus (Sitzungsber. d. Wien. Akad. XII p. 237 sqq). Ribbeck ib. p. 217 sqq. Friedl. ib. p. 441 sqq. et apud Marqu. Staatsverw. III [2] p. 549 sqq.

genere constat ad omnes hominum mores et varia artificia quaestusque exagitandos et irridendos electa esse[1]). Sed gratissima argumenta docet[2]) Tertullianus ex hominum foedissimis vitiis summisque flagitiis esse sumpta: *quotcunque adulteria, quotcunque stupra, quotcunque publicatae libidines, siue statiuo uel ambulatorio titulo, tot sanguinis mixtiones, tot compagines generis, tot inde traduces ad incestum; unde adeo mimis et comoedis argumentorum uenae fluunt*[3]). Praeterea dicit[4]) Tertullianus in mimis, quos Lentulus et Hostilius mimographi composuerant, fabulas ad deos pertinentes saepe in iocos conversas esse: *Cetera lasciviae ingenia etiam voluptatibus vestris per deorum dedecus operantur. Dispicite Lentulorum et Hostiliorum venustates, utrum mimos an deos vestros in iocis et strophis*[5]) *rideatis: moechum Anubin*[6]), *et masculum Lunam*[7]), *et Dianam flagellatam, et Iovis mortui testa-*

---

[1]) Reich, ib. p. 58 sq. 65. 575. Grysar ib. p. 250 sqq. Ribbeck p. 224 sqq.

[2]) Ad nat. I 16 (I 87, 18).

[3]) Cfr Reich, ib. p. 587. Iuv. VI 42 sqq.

[4]) Apol. XV (O. I 171). [5]) Corp. Gloss. Lat. VII p. 300 *stropiae dicuntur per quas dolo aliquid agitur ad circumueniendum quempiam.* Tert. Adv. Marc. III 10 (III 392, 19) *quanto dignius necessitas fidem quam stropham administrasset!* De spect. XXIX (I 28, 7) *nec strophae sed simplicitates.* De an. XXVIII (I 347, 32). Sen. Ep. III 5, 5 *Non timide itaque conponar ad illum diem, quo remotis strophis ac fucis de me iudicaturus sum, utrum loquar fortia an sentiam, numquid simulatio fuerit et mimus, quicquid contra fortunam iactavi verborum contumacium.* Cfr Cic. pro Rab. Post. XII 35 *omnes illim praestigiae, illim, inquam, omnes fallaciae, omnia denique ab eis mimorum argumenta nata sunt.*

[6]) Solent scriptores (Oehler ad hunc locum; Friedlaender Sitteng. II [8] p. 441) hanc fabulam referre ad hominem quendam lididinosum, qui Tiberii aetate persona Anubis induta mulierem nobilem in templo Isidis constupraverat (cfr Ioseph. Ant. XVIII 72 sqq.). Tertullianus autem mentionem facit de flagitiis, quae in deorum templis erant facta Apol. XV (O. I 174). De pud. V (I 227, 8).

[7]) De masculo Luna cfr Drexler in Rosch. lex. II 2763, 32 sqq. Spartian. Carac. VI 6 ... *atque inde Carras Luni dei gratia venisset.* VII 3 *Et quoniam dei Luni fecimus mentionem, sciendum doctissimis quibusque id memoriae traditum atque ita nunc quoque a Carrenis praecipue haberi, ut qui Lunam fe-*

mentum recitatum, et tres Hercules famelicos[1]) *inrisos*[2]). In eo tamen ab Atellanis ceterisque fabularum actoribus maxime differebant mimi, quod usum personarum omiserant partesque femineas actricibus tradiderant admistrandas[3]). Quo factum erat, ut uberiorem, quam Fabula Atellana vel comoedia praeberet mimus spectatoribus voluptatem maioremque, quam ceterae fabulae, sibi conciliaret favorem. Voluptatem augebant saltationes lascivae modique libidinis pleni[4]). Accedebat quod mimi nullis parcebant verbis impudicis et obscenis[5]), quod Tertullianus reprehendit[6]): *ita summa gratia eius* (theatri) *de spurcitia plurimum concinnata est, ... quam mimus etiam per muliebres res repraesentat, sensum sexus et pudoris exterminans, ut facilius*

---

mineo nomine ac sexu putauerit nuncupandam, is addictus mulieribus semper inseruiat: qui uero marem deum esse crediderit, is dominetur uxori neque ullas muliebres patiatur insidias.

[1]) De Hercule famelico, quem Graeci ἐπιτραπέζιον appellabant, cfr Preller-Plew, Gr. Myth. II p. 268. Lact. Inst. I 21 *Hercules, cum eo delatus esset, famemque pateretur, aratorem quendam conspexit operantem, ab eoque petere coepit, ut sibi unum bovem venderet. Enimvero ille negavit fieri posse, quia spes sua omnis colendae terrae duobus illis iuvencis niteretur. Hercules solita violentia usus, quia unum accipere non potuit, utrumque sustulit . . . Dum comitibus suis epulas apparat, dumque alienos boves devorat, illum sibi amarissime conviciantem cum risu et cachinnis audiebat.* — Tertull. De cor. XV (O. I 457) *mimum martyrii* commemorat. Quo loco num alludat ad mimos illos, quibus christiana religio derisui habita est, non satis liquet. De mimis illis cfr Reich, ib. p. 83.

[2]) Item Arnob. Adv. gent. IV 36 *Etiam mimis et scurrilibus ludicris sanctissimorum personae interponuntur deorum.*

[3]) Cfr Reich ib. p. 28. 528 sq.

[4]) Cfr id. ib. p. 476. 478 sq. 500. 612.

[5]) Cfr Grysar ib. p. 264, ubi monet in mimis res pudendas pronuntiari solitas esse, easque quae ad mulieres pertineant. Cuius impudentiae testimonium adhibet ex Laberii Centenario apud Non. s. v. Eugium: *quare tam arduum ascendas? scindere an concupiisti eugium?* August. De c. d. II 8 *Et haec sunt scaenicorum tolerabiliora ludorum, comoediae scilicet et tragoediae, hoc est fabulae poetarum agendae in spectaculis multa rerum turpitudine, sed nulla saltem, sicut alia multa, uerborum obscenitate conpositae.*

[6]) De spect. XVII (I 18, 22).

domi quam in scaena erubescant; liberosque ad eos admitti graviter fert [1]): *sic ergo euenit, ut . . . . qui filiae uirginis ab omni spurco verbo aures tuetur, ipse eam in theatrum ad illas uoces gesticulationesque deducat.* Summa cum impudentia protervitateque dabatur mimus ludis Floralibus, in quibus pro actricibus meretrices [2]) nudatis corporibus saltantes egisse narrantur. Hunc morem Tertullianus, ut alii scriptores christiani [3]), vehementissime perstringit [4]): *ipsa etiam prostibula, publicae libidinis hostiae, in scaena proferuntur, plus miserae in praesentia feminarum, quibus solis latebant, perque omnis aetatis, omnis dignitatis ora transducuntur; locus, stipes, elogium, etiam quibus opus non est, praedicatur, etiam (taceo de reliquis) . . . quae in tenebris et in speluncis suis delitescere decebat, ne diem contaminarent. erubescat senatus, erubescant ordines omnes; ipsae illae pudoris sui interemptrices de gestibus suis ad lucem et populum expauescentes semel anno erubescant* [5]).

Numerum eorum, qui in mimis ipsum ludum actumque iocosum regebant et aliis in re gerenda aderant, docet [6]) Reichius maiorem vel minorem fuisse, prout res ipsa, quae agenda erat, postulabat. Sed inter omnes maxime conspicuus erat is, qui stupidi vel scurrae partes agebat [7]). Namque non solum vestitu, sed etiam buccis inflatis calvoque capite longe a ceteris differebat [8]). Ac plerumque in mimis res ita ferebat, ut stupidus ille

---

[1]) Ib. XXI (I 22, 3).

[2]) Reich ib. p. 171 sq. Wissowa apud Pauly-Wissowa R-E VI p. 2751. Cfr Grysar ib. p. 271 sq.

[3]) Lact. Inst. I 20. August. De c. d. II 27. Arnob. VII 33. Plures locos invenies apud Pauly-Wissowa ib.

[4]) De spect. XVII (I 19, 2).

[5]) De meretricibus, earum locis vel speluncis, stipibus, ceteris condicionibus cfr Blümner, Die röm. Privatalt. p. 367 sqq. Cfr Tert. De an. XXXIV (I 359, 24 sqq.).

[6]) Der Mimus p. 88. 563 sqq.

[7]) Reich, ib. p. 66. Grysar ib. 266 sq. Friedl. Sitteng. II [8] p. 443.

[8]) Reich, ib. p. 578 sqq. Grysar ib. p. 266. Non. Marc. 6, 21 *Calvitur dictum est frustratur: tractum a calvis mimicis, quod sint omnibus frustratui.* Iuv. V 171 *pulsandum vertice raso praebebis quandoque caput.*

ob stultitias ineptiasque, quas agebat, et ob simulata verba factaque, quibus primarum partium actorem imitabatur, acerrimis verbis increparetur colaphisque percuteretur [1]). Huius meminit [2]) Tertullianus: *placebit et ille, qui uoltus suos nouacula mutat, infidelis erga faciem suam, quam non contentus Saturno et Isidi et Libero* [3]) *proximam facere insuper contumeliis alaparum sic obicit, tamquam de praecepto domini ludat? docet scilicet et diabolus uerberandam maxillam patienter offerre.*

Tertullianus, cum Valentinianorum sectam impugnans doctrinam eorum de Pleromate constructam exposuisset, imagine ex theatro sumpta sic pergit: [4]) *quod superest, inquis, uos ualete et plaudite! immo quod superest, inquam, uos audite et explodite! ceterum haec intra coetum Pleromatis decucurrisse dicuntur, prima tragoediae scaena, alia autem trans siparium coturnatio est, extra Pleroma dico.* Qua imagine res ad Pleroma pertinentes demonstrat ipsum tragoediae actum efficere, qui tota scaena dabatur aperta, eas vero res, quas secta illa fingebat extra Pleroma accidisse, confert cum embolio vel exodio, cuius vicibus fabula Atellana vel mimus fungebatur. Exhibebantur enim embolia et exodia prima scaenae parte, quae sipario a cetera separabatur [5]).

Praeter Lentulum et Hostilium [6]) mimographos, quorum

[1]) Mart. V 61, 11 *o quam dignus eras alapis, Mariane, Latini.* Iuv. VIII 192. Cfr Reich, ib. p. 113. 401. 523. 579.

[2]) De spect. XXIII (I 23, 16).

[3]) Similitudinem, quam facies mimi cum deis illis habeat, cum commemorat Tertullianus, de mimi ornatu cogitat, quo is imaginibus deorum illorum similis erat factus. Cfr De test. an. II (I 137, 12) *atque adeo plerumque . . . pallio Saturni coccinata, et deae Isidis linteata . . . deum iudicem imploras.* Reich p. 113 n. 1.

[4]) Adv. Val XIII (III 192, 13).

[5]) Donat. De com. gr. (Kaibel, Comic. gr. fr. I 1 p. 71) *(Siparium) est . . . mimicum uelum, quod populo obsistit dum fabularum actus commutantur.* Cfr Reich, ib. p. 608 sq. Grysar ib. p. 275 sq. Friedl. ib. p. 443.

[6]) Lentuli fit mentio De pall. IV (O. I 937) *pugil Cleomachus . . . merito . . . mimographo Lentulo in Catinensibus commemoratus;* utriusque Ad nat. I 10 (I 79, 26) *dispicite apud uos Lentulorum et Hostiorum sacrilegas uenustates, utrum mimos an deos uestros in strophis et iocis rideatis.* Nam-

supra meminimus, Tertullianus commemorat L a b e r i u m [1]), cuius ex fabulis duos locos adhibet: Apol. XLVIII (O. I 290) *Age iam, si qui philosophus adfirmet, ut ait Laberius de sententia Pythagorae, hominem fieri ex mulo, colubram ex muliere, et in eam opinionem omnia argumenta eloquii virtute distorserit, nonne consensum movebit . . .?* [2]) De pall. I (O. I 918) *Nam et arietem (non quem Laberius reciprocicornem et lanicutem et testitrahum, sed trabes machina est, quae muros frangere militat) . . . dicitur Carthago, studiis asperrima belli, prima omnium armasse in oscillum penduli impetus* [3]). De C a t u l l o [4]) vero et fabula eius notissima, qui erat Laureolus [5]), praeteriens facit mentionem Adv. Val. XIV (III 193, 20): (Achamoth) *ita depulsa, quominus pergeret, nec habens superuolare Crucem, id est Horon, quia nullum Catulli Laureolum fuerit exercitata, ut destituta, ut passioni illi suae intricata multiplici atque perplexae, omni genere eius coepit adfligi.*

Cum tragoedia in scaena agenda principales in partes solvi coepisset [6]), ea quae ex canticis constabat pars a praecipuis artificibus, qui t r a g o e d i appellabantur, excepta et propagata est [7]). Atque ipsa tragoedia cum Tertullianea aetate recentioribus scaenicae artis surculis iam adeo obscurata esset [8]), ut eius rationem christiano scriptori spectacula impugnanti vix opus esset habere, tragoedi nomine apud Tertullianum putaverim novum illum artificem scaenicum significari. Adicitur praeterea, cum de iis fit mentio, verbum quoddam, quo c a n t a n d i sensus exprimitur, id

---

que loco illo nomen *Hostilii* certe a librario mutilatum nobis occurrit. De Lentulo cfr Hieron. epist. 147, 3 (XXII, 1197 Migne). Id. contra Rufin. II 514 (XXIII, 465 Migne). Marius Mercator, Comm. adv. haer. Pelagii et Caelestii etc. IV 1 (XLVIII, 126 Migne). Lentulum putat Schanz (Gesch. d. röm. Litt. III [2] p. 46) altero p. Chr. saeculo vixisse. Grysar autem (ib. p. 255, 297) falso ei ascribit fabulam Laureolum. Sed Hostilius prorsus est ignotus.

[1]) De Laberio cfr Schanz ib. I (1890) p. 131.

[2]) Ad hunc locum Oehler adhibuit: Bothe, Fragm. com. lat. p. 205 sqq. *Et audio mala multa etiam ex bonis geni: Par illud, ut nos olim mutant philosophi, Et nunc de mulo hominem, colubram de muliere Faciunt et ex diversis diversa alia.*

[3]) Cfr Ribbeck, Com. lat. rel. p. 256, XX. [4]) Cfr Skutsch apud Pauly-Wissowa R-E III 1796. Schanz, ib. III [2] p. 46. [5]) Cfr Reich. ib. p. 149 sq. [6]) Friedl. ib. p. 452 sq. [7]) Id. ib. p. 453 sqq. [8]) Id. ib. p. 452.

quod artifici illi erat proprium, vel vocabulum audiendi [1]), quo eiusmodi voluptatis captandae ratio praecipue significatur: *tunc magis tragoedi audiendi, magis scilicet uocales in sua propria calamitate.* Porro dicitur [2]) tragoedus ad tibicinem canere: *sed tragoedo uociferante exclamationes ille alicuius prophetae retractabit et inter effeminati tibicinis modos psalmum secum comminiscetur.* Tragoedos cum constet personatos in cothurnis prodisse [3]), ad eos velim hunc quoque locum [4]) referre: *sic et tragoedos cothurnis* (diabolus) *extulit, quia nemo potest adicere cubitum unum ad staturam suam.* Sed cum tragoedos, quorum cantica ex tragoediis severissimis praecipue Graecis excerpta erant [5]), Tertullianus non eodem, quo mimos et pantomimos, iure posset reprehendere [6]), ad mala omina quibus tragoedos terribiles redderet, narranda refugit [7]): *constat et alii linteum* [8]) *in somnis ostensum eius diei nocte, qua tragoedum audierat, cum exprobratione nominato tragoedo nec ultra quintum diem eam mulierem in saeculo fuisse* [9]).

Altera vero tragoediae in scaena agendae pars, quae ex gestu et saltatione constabat, a pantomimis [10]), qui plerumque histriones proprie appellabantur [11]), vindicata et exculta est. Ad

[1]) De spect. XXX (I 29, 6). [2]) Ib. XXV (I 25, 8).

[3]) Suet. Nero XXI, 3 *Tragoedias quoque cantauit personatus heroum deorumque, item heroidum ac dearum, personis effectis ad similitudinem oris su. et feminae, prout quamque diligeret.* Friedl. ib. p. 453 n. 4.

[4]) De spect. XXIII (I 23, 21).

[5]) Suet. ib. *Inter cetera cantauit Canacen parturientem, Oresten matricidam, Oedipodem excaecatum, Herculem insanum.*

[6]) Immo alio loco (De spect. XXVII), qui maxime ad cantica tragoedorum est referendus, ea quae exhibentur in spectaculis „*seu honesta seu sonora seu canora seu subtilia*“ esse concedit.

[7]) De spect. XXVI (I 25, 25). Cfr init. eiusdem capitis.

[8]) Linteum interpretatur *ferali amiculo* Oehler ad l.

[9]) De poenis per somnia petitis cfr Tert. De idol. XV (I 48, 22). P. Wendland, De fabellis antiquis earumque ad Christianos propagatione (1911) p. 24 sq.

[10]) De pantomimis cfr Grysar, Ueber die Pantomimen der Römer (Rhein. Mus. 1834 p. 30 sqq). Friedlaender ib. p. 455 sq. Id. apud Marqu. Staatsverw III [2] p. 551 sq.

[11]) Tert. De idol. V (I 34, 28) *histriones . . . non manibus solis, sed totis membris uictum elaborare.* Cfr Grysar, Der röm. Mimus p. 321.

eorum usum plerumque cantica tragoediarum transcripta et composita erant [1]), quorum verba vocesque chorus ad tibias, fistulas, cymbala, citharas, lyras cantabat [2]). Erat igitur pantomimi deos, homines, res, facta, dicta, de quibus in canticis poëtae narraverant, gestu solo repraesentare spectatoribusque agnoscenda reddere [3]). Quam linguae mutae facultatem pantomimi ut assequerentur, exercitationibus gravissimis iam a pueritia in ludis instituebantur [4]). Cuius rei meminit Tertullianus De spect. XVII (I 18, 25): *quam denique* (spurcitiam) *pantomimus a pueritia patitur ex corpore, ut artifex esse possit.* Apol. XV (O. I 173): *corpus inpurum et ad istam artem effeminatione productum.* Gesticulationes etsi pantomimi praecipue manibus digitisque exhibebant, quibus eos constat quamlibet fere rem significare potuisse [5]), ubi

---

[1]) Friedl. Sitteng. II [8] 456.

[2]) Id. ib. p. 458. Cassiod. Var. IV 51, 9 *Pantomimo igitur . . . . assistunt consoni chori diversis organis eruditi.*

[3]) Id. ib. *tunc illa sensuum manus oculis canorum carmen exponit et per signa composita quasi quibusdam litteris edocet intuentis aspectum, in illaque leguntur apices rerum et non scribendo facit quod scriptura declaravit. idem corpus Herculem designat et Venerem, feminam praesentat in mare, regem facit et militem, senem reddit et iuvenem, ut in uno credas esse multos tam varia imitatione discretos.*

[4]) Macr. Sat. II 7, 12 *Pylades . . Hylam discipulum usque ad aequalitatis contentionem eruditione prouexit.* Sen. Nat. quaest. VII 32, 3 *At quanta cura laboratur, ne cuius pantomimi nomen intercidat? stat per successores Pyladis et Bathylli domus. harum artium multi discipuli sunt multique doctores.* Libanius, Ad Arist. p. 388, 16 Reiske III: *μάλιστα δὲ μεταληπτέον ὀρχηστῇ. παραλαβὼν δὲ αὐτὸν ὁ παιδοτρίβης εἰς πλείους καὶ θαυμασιωτέρας καμπὰς ἢ τὸν παλαιστὴν, περιάξει τὴν κεφαλήν, ἀνάγων ὑπὲρ τῶν νώτων τὼ πόδε. καὶ πρός γ' ἔτι προκύπτειν τοῦ προσώπου καταναγκάζων, ὥστε τὰς πτερνὰς τοῖς ἀγκῶσι πελάζειν. ἐπειδὰν δ' ἐργάσηται τὸ σῶμα κύκλον, ὥσπερ τινὰ λύγον, κινεῖ πρὸς δρόμον, οἷα τρόχον, τὸ δὲ θεῖ. καὶ τοῖς μέλεσιν ὁ δρόμος* (οὐ R.) *γίνεται βλάβη.* Grysar, Pantomimen p. 66. Friedl. ib. 464 sq.

[5]) Sen. Epist. XX 4, 6 *Mirari solemus saltandi peritos, quod in omnem significationem rerum et adfectum parata illorum est manus et verborum velocitatem gestus adsequitur.* Grysar, ib. p. 41 et 44 sq. Friedl. ib. 462 sq. Unum eiusmodi signum allegoricum, quo mimi et pantomimi utebantur, commemorat Tertullianus Ad nat. I 7 (I 89, 18): *sed non dicimus deum impera-*

tamen gestus et signa digitis data deficiebant vel actus elatior postulabat, toto etiam corpore ad sensus varios exprimendos utebantur [1]): *credo et fures balneares manibus suis uiuere . . ., histriones uero non manibus solis sed totis membris uictum elaborare* [2]). Varios pantomimorum motus sic describit Apollinaris Sidonius (Carm. XXIII 268 sqq.):

Coram te Caramallus aut Phabaton
clausis faucibus et loquente gestu
nutu, crure, genu, manu, rotatu
toto in schemate vel semel latebit.

Tertullianus vero dicit [3]) eos vestitu muliebri se curvare solitos esse: *ceterum cum in lege praescribit maledictum esse qui muliebribus uestietur, quid de pantomimo iudicabit, qui etiam muliebribus curuatur?* Hoc loco cum nonnullis apud Arnobium et Lactantium locis [4]) collato Tertullianus videtur curvandi vocabulo, cui praecipuam hic tribuit vim, ad motum quendam obscenum spectare, quo pantomimi summam feminarum libidinem exprimere solebant. Maxima igitur pantomimis virtus erat corporis mollitia, cuius mentio fit De spect. XXX (I 29, 8): *tunc histriones cognoscendi, solutiores multo per ignem.* Ceterum Tertullianus testatur pantomimos arte sua multum valuisse [5]): *meminimus enim et*

---

torem; super hoc enim, quod vulgo aiunt, sannam facimus. Item Adv. Iud. XI (O. II 732) *subsannantes.* Cfr Grysar ib. p. 42 sqq.

[1]) De idol. V (I 34, 28). [2]) Cfr Grysar ib. p. 40.

[3]) De spect. XXIII (I 24, 1).

[4]) Arnob. Adv. nat. II 42 *idcirco animas misit, . . . numerosos ut cierent scabillorum concrepationibus sonores, quibus animarum alia lasciuiens multitudo incompositos corporum dissolueretur in motus, saltitaret et cantaret, orbes saltatorios uerteret et ad ultimum clunibus et coxendicibus subleuatis lumborum crispitudine fluctuaret.* IV 35 . . . *saltatur Venus et per adfectus omnes meretriciae uilitatis inpudica exprimitur imitatione bacchari.* VII 33 *clunibus fluctuare crispatis.* Lact. Inst. VI 20 *Histrionum . . . enervata corpora, et in muliebrem incessum habitumque mollita, impudicas feminas inhonestis gestibus mentiuntur.* Latino *curvandi* vocabulo respondet graecum *κύπτεσθαι.* Cfr Reich, Mimus p. 396. Grysar ib. p. 51.

[5]) De pud. VIII (I 235, 15).

histriones, cum allegoricos gestus adcommodant canticis, alia longe a praesenti et fabula et scaena et persona et tamen congruentissime exprimentes.

Gratissima argumenta pantomimis erant eiusmodi tragoediarum cantica, quibus de amoribus et erroribus deorum agebatur. Argumenta illa Tertullianus adhibuit Ad nat. I X (I 79, 28): *sed et histrionicas litteras magna cum uoluptate suscipitis, quae omnem foeditatem designant deorum. constuprantur coram uobis maiestates in corpore inpuro. famosum et diminutum caput imago cuiuslibet dei uestit. luget Sol filium fulmine extinctum*[1]) *laetantibus uobis, Cybela pastorem suspirat fastidiosum*[2]) *non erubescentibus uobis, et sustinetis Iouis elogia*[3]) *modulari.* Apol. XV (O I 172): *Iunonem, Venerem, Minervam a pastore iudicari*[4]). *Ipsum quod imago dei vestri ignominiosum caput et famosum vestit. quod corpus inpurum et ad istam artem effeminatione productum Minervam aliquam vel Herculem*[5]) *repraesentat, nonne violatur maiestas et divinitas constupratur laudantibus vobis?*

[1]) Phaethontem Lucianus de salt. (c. 55) recepit in indicem pantomimorum.

[2]) Arnob. Adv. nat. VII 33 *tranquillior, lenior Mater Magna efficitur, si Attidis conspexerit priscam refricari ab histrionibus fabulam?* Fuerint licet histriones illi actores tragici, alio tamen loco (IV 35) fabulam eam idem scriptor ascribit pantomimis: *saltatur et Magna sacris compta cum infulis mater et contra decus aetatis illa Pessinuntia Dindymene in bubulci unius amplexum flagitiosa fingitur adpetitione gestire.*

[3]) Id. ib. VII 33 *ponit animos Iuppiter, si Amphitryon fuerit actus . . . aut si Europa, si Leda, Ganymedes fuerit saltatus aut Danae, motum conpescit irarum?* Id. ib. IV 35. Praeter Arnobium ad fabulas referunt pantomimicas *Europam* (ab Iove raptam) Lucianus (De salt. c. 49), Sidonius (Carm. XXIII 281); *Ledam* (ab Iove stupratam) Iuvenalis (VI 63), Prudentius (Peristeph. X 221), Sidonius (ib. 286), *Ganymedem* (ab Iove raptum) idem (ib.), *Danaen* (ab Iove stupratam) Lucianus (c. 44), Sidonius (ib. 283). Ad fabulas illas Tert. intendit animum Apol. XXI (O. I 197), Ad nat. II 13 (I 124, 2), De carne Chr. IV (O. II 433). Item Prudentius, Contra Symm. I 59 sqq.

[4]) Hanc fabulam inter pyrrhicharum argumenta reposuit Friedl. apud Marqu. Staatsverw. III ^{2} p. 552. Cfr Sitteng. II ^{6} p. 468.

[5]) Minervam a pantomimis inductam docet Lucianus (ib. c. 39), Herculem idem (ib. c. 41, 50, 56), Macrobius (Sat. II 7, 16), Libanius (ad Arist. de salt. Op. III p. 373, 5 Reiske).

Quae fuerint argumenta illa ex veterum tabulis sumpta, quae pantomimi saltare solebant, hac dissertatione mihi non existimo demonstrandum esse. Cum tamen eiusmodi fere argumenta eligerent pantomimi, quibus existimatio deorum laederetur, verisimile est multum eos valuisse non solum ad religionem apud Romanos destruendam [1]), sed etiam ad eam opinionem si non excitandam at certe confirmandam, quam apud scriptores christianos identidem invenies conclamatam, deos veterum vel vitiosissimos esse. Atque si fabulas, ad quas Tertullianus in libris suis provocat, contuleris cum indicibus, quos de argumentis histrionum tradiderunt scriptores [2]), multas sane inter illas cum ad deos tum ad heroas pertinentes invenies, quae non solum titulis congruunt cum iis, quae in indices recepti sunt, sed etiam quamvis breviter narratae eas tamen attingunt res, quas histrionum saltationibus credideris facile accommodari potuisse [3]). Casu id accidisse non est probabile, veri similius autem, cum idololatria esset convincenda, Tertullianum eas ipsas, quas sciret per spectacula pervulgatas esse, fabulas sua sponte vocasse in testimonium. Ita evenit, ut in eodem, quem pantomimi occassent, agro sementem facerent christianae doctrinae propugnatores.

Addenda sunt pauca, quae ad illustrandos omnes ludos theatrales pertinent. Ad mimi obscenas voces pantomimique gestus libidonosos si spectaveris, et ad Tertulliani severitatem, qua ductus verba illa disertissima facit: [4]) *pudicitia, flos morum, honor*

---

[1]) Zosimus I 6 *ἥ τε γαρ παντόμιμος ὄρχησις ἐν ἐκείνοις εἰσήχθη τοῖς χρόνοις, οὔπω πρότερον οὖσα . . . , καὶ προσέτι γε ἕτερα πολλῶν αἴτια γεγονότα μέχρι τοῦδε κακῶν.* Friedl. Sittengesch. II [8] p. 465 sq.

[2]) Plurima invenies argumenta apud Libanium l. l., Sidonium l. l., Arnobium l. l., Lucianum de salt. cc. 37—61 collecta.

[3]) Ad ea, quae supra commemoravi, argumenta adiciam haec: *Ariadne a Theseo derelicta* (Tert. Ad. nat. II 14; Luc. c. 49), *Athamas furens* (De an. 17; L. 42), *Dido* (De exhort. cast. 13, Apol. 50, Ad. nat. I 18; L. 46), *Erichthonius* (De virg. vel. 3; L. 39), *Hercules furens* (Ad. nat. II 14; L. 41; Macr. Sat. II 7, 16), *Minerva de Athenis contendens* (De an. 20; L. 39), *Pasiphae* (De an. 46; Luc. 49), *Saturnus* (Apol. 10, Ad. nat. II 11; L. 37).

[4]) De pud. I (I 219, 3).

corporum, decor sexuum, integritas sanguinis, fides generis, fundamentum sanctitatis, praeiudicium omnibus bonae mentis, si respexeris, non sane miraberis eum *scurrilitatem* [1]), *spurcitiam* [2]), *impudicitiam* [3]) *theatri, scaenicam foeditatem* [4]) damnasse vel haec exclamasse: [5]) *(theatrum) est priuatum consistorium inpudicitiae, ubi nihil probatur quam quod alibi non probatur.* Attamen monitus, ut videtur, ab iis, qui ludos theatrales defendebant, ne ea quidem, quae in rebus scaenicis erant probabilia prorsus neglegere poterat. Dicit [6]) enim: *sint dulcia licebit et grata et simplicia, etiam honesta quaedam;* ibid.: *omnia illic seu fortia seu honesta seu sonora seu canora seu subtilia perinde habe ac stillicidia mellis de lucunculo uenenato: si* [7]) *scaenicae doctrinae delectant, satis nobis litterarum est, satis uersuum est, satis sententiarum* [8]), *satis etiam canticorum* [9]), *satis uocum, nec fabulae, sed ueritates, nec strophae, sed simplicitates.*

---

[1]) De spect. XVII (I 19, 12).

[2]) Ib. (I 18, 22).

[3]) Ib. (I 18,19). Apol. XXXVIII (O. I 253).

[4]) De pud. VII (I 232, 22).

[5]) De spect. XVII (I 18, 20).

[6]) De spect. XXVII (I 26, 18).

[7]) De spect. XXIX (I 28, 4).

[8]) De *sententiis*, quas eloqui solebant mimi, disseruit Sen. Epist. XVIII 5 (108), 8 sqq. *Facile est auditorem concitare ad cupiditaten recti . . . Non vides, quemadmodum theatra consonent, quotiens aliqua dicta sunt, quae publice adgnoscimus et consensu vera esse testamur?*

Desunt inopiae multa, avaritiae omnia.

In nullum avarus bonus est, in se pessimus.

ad hos versus ille sordidissimus plaudit et vitiis suis fieri convicium gaudet: . . . magis tamen feriuntur animi, cum carmina eiusmodi dicta sunt:

Is mimimo eget mortalis qui minimum cupit.

Quod vult, habet, qui velle, quod satis est, potest.

Cum haec atque eiusmodi audimus, ad confessionem veritatis adducimur. Cfr Reich, Der Mimus p. 69 sq. 315. 432. 574. Grysar, Der röm. Mimus p. 307 sqq. Norden, Scholia in Greg. Naz. or. (Hermarum vol. 27) p. 628.

[9]) *Hymnos* commemorat Tert. ex. gr. De or. XXVIII (I 199, 3), Adv. Marc. III 22 (III 416, 18).

Magni propter ludos theatrales, quod erat veteribus illis, studii dat testimonium hic locus: [1]) *Video et theatra nec singula satis esse nec nuda; nam ne vel hieme voluptas inpudica frigeret, primi Lacedaemonii penulam* [2]) *ludis excogitaverunt.* Ceterum habitus cultusque [3]) splendore Tertullianus testatur Romanos non solum in theatris sed ceteris quoque in spectaculis inter se contendisse: [4]) *immo in omni spectaculo nullum magis scandalum occurret quam ille ipse mulierum et uirorum accuratior cultus . . . nemo denique in spectaculo ineundo prius cogitat nisi uideri et uidere* [5]). De favore, quo in theatris flagrabant spectatores, facit mentionem [6]): *quale est . . . illas manus quas ad deum extuleris postmodum laudando histrionem fatigare?* Ac studia eorum, ut fieri solebat in circis, dicit in contentiones verti: [7]) *Oro te . . ., si forte tabula ludens vel de histrionibus aut aurigis contendens tali nuntio avocareris, nonne dixisses?* Fabula denique peracta spectatores docet [8]) Tertullianus nervorum cantu oblectatos esse: *Producam denique uelut epicitharisma post fabulam tantam etiam illa quae . . . hunc malui in locum distulisse.* Inter histriones Aesopum, hominem luxuria diffluentem, quo Cicero familiariter utebatur, Tertullianus commemorat: [9]) *Praecidam gulam . . ., qua Asinius Celer*

---

[1]) Apol. VI (O. I 134).

[2]) De paenula cfr Blümner, Privatalt. p. 215 sq. Marquardt-Mau, Privatl. p. 564 sq.

[3]) Tert. De cult. fem. I 4 (O. I 706) *Habitus feminae duplicem speciem circumfert, cultum et ornatum. Cultum dicimus quem mundum muliebrem vocant, ornatum, quem immundum muliebrem convenit dici. Ille in auro et argento et gemmis et vestibus deputatur, iste in cura capilli et cutis et earum partium corporis quae oculos trahunt.*

[4]) De spect. XXV (I 25, 3).

[5]) De cult. fem. II 11 (O. I 730) *Quae autem vobis causae extructius prodeundi, cum remotae sitis ab his quae talium indigent. Nam nec templa circumitis, nec spectacula postulatis, nec festos dies gentium nostis. Propter istos enim conventus et multum videre ac videri omnes pompae in publicum feruntur.*

[6]) De spect. XXV (I 25, 14).

[7]) De carne Chr. VII (O. II 440). Cfr Friedl., Sitteng. II [8] p. 480 sqq.

[8]) Adv. Val. XXXIII (III 209, 4).

[9]) De pall. V (O. I 953).

mulli unius obsonium sex sestertiis detulit, qua Aesopus histrio ex avibus eiusdem pretiositatis, ut canoris et loquacibus quibusque, centum milium patinam confiscavit [1]. Nomina denique hominum et rerum proprie ad theatra spectantium, sicuti *hypocritas* [2], *plausores* [3], *aulaeum* [4], *scaenam* [5] verbaque *plaudendi* [6], *applaudendi* [7], *supplaudendi* [8], *explodendi* [9], *acclamandi* [10] saepe per metaphoram posuit.

[1]) Plin. N. h. X 141 sq. *Aviaria primus instituit . . . M. Laelius Strabo . . . maxime tamen insignis est in hac memoria Clodii Aesopi tragici histrionis patina HS C̄ taxata, in qua posuit aves cantu aliquo aut humano sermone vocales, HS V̄Ī singulas coemptas, nulla alia inductus suavitate nisi ut in his imitationem hominis manderet, ne quaestus quidem suos reveritus illos opimos et voce meritos.* Cfr Münzer apud Pauly-Wissowa R-E IV 67.

[2]) Adv. Marc. I 14 (III 309, 3), IV 29 (III 523, 25), De paen. V (O. I 652). Praeterea occurrit apud Tertullianum De pall. IV (O. I 934) *histriculus*, De Carne Chr. V (O. II 435) *spectaculi artifex.*

[3]) Apol. XXXV (O. I 247), *scelestarum partium plausores.* De paen. X (O. I 661) *ut plausores fugis.*

[4]) De an. XLI (I 369, 5) *detracto corruptionis pristinae aulaeo totam lucem suam conspicit.* Apol. XLVIII (O. I 294) *aulaei vice oppansa est.*

[5]) Apol. XXXV (O. I 244) *novi ac novi Caesaris scena congiario dividundo praesidentis,* De an. XLVI (I 377, 25) *malitiae scaena,* LI (I 382, 28) *corporis scaena,* Adv. Marc. III 11 (III 394, 8) *phantasmatis scaena,* Adv. Val. XX (III 198, 19) *caelorum septemplex scaena,* XXXI (III 207, 8) *sicut ex scaena mutabit,* Adv. omn. haer. II (III 216, 13) *erroris et scaena et doctrina.* Cfr supra p. 120.

[6]) De pud. VI (I 229, 1).

[7]) De an. XVI (I 321, 19), De carn. res. XI (III 40, 17), De virg. vel. XVII (O. I 909).

[8]) De idol. XII (I 42, 31), De pud. XIX (I 261, 29).

[9]) De an. LIII (I 385, 5), Adv. Marc. IV 18 (III 478, 13).

[10]) Apol. XXXV (O. I 244).

C. De muneribus et venationibus.

Tertullianus, cum munera de honoribus mortuorum ad magistratuum et sacerdotum honores translata et idololatriae causa edita esse ostendisset, pergit[1]) de apparatu eorum loqui et: *idem* inquit, *de apparatibus interpretabimur in ipsorum honorum suggestu deputandis, quod purpurae, quod fasces, quod uittae, quod coronae, quod denique contiones et edicta et pultes pridianae sine pompa diaboli, sine inuitatione daemonum non sunt.* Varias illas res, quae ad munera pertinent, quas ad ipsos honores exornandos et amplificandos dicit valere, ad idololatriam refert, quoniam sint cum pompa diaboli et invitatione daemonum coniunctae. Ad pompam igitur spectabant togae praetextae, quibus qui ludos edebant magistratus, sacerdotesque induti erant[2]), et lictores, qui editorem comitabantur[3]), et vittae, quibus bestiae in hostiarum modum erant ornatae[4]), et coronae, quibus Tertullianus alio loco dicit non solum amphitheatrum sed etiam spoliarium esse ornatum[5]). Ad daemones vero praecipue invitandos pertinebant edicta litteris coloratis in parietibus et monumentis proposita, quibus de muneribus edendis ac de certantium numero nominibusque civitati palam fiebat[6]), cenae liberae vel pultes, quae pridie quam certamina fiebant gladiatoribus et bestiariis praeberi solebant[7]), ipsae denique contiones, quas ob ludos edendos, ubi

---

[1]) De spect. XII (I 15, 4).

[2]) Mommsen, Staatsr. I[3] p. 421 sq. Cfr p. 412 sqq. Id. ib p. 413 sq.: Wenn also in der republikanischen Epoche vielleicht nicht sämmtliche Magistrate als *Spielgeber* das *Ganzpurpurgewand* getragen haben, so ist dies für die augustische und die spätere Kaiserzeit . . . im Allgemeinen hinreichend beglaubigt.

[3]) Id. ib. p. 391 sq.

[4]) Friedlaender, Sitteng. II[3] p. 405.

[5]) De cor. XIII (O. I 453) *Ceterum a saeculo coronantur . . . et ipsa amphitheatra et ipsa spoliaria.*

[6]) Friedl. ib. p. 387. Id. apud Marqu. Staatsv. III[2] p. 561.

[7]) Tert. Apol. XLII (O. I 274) *non in publico Liberalibus discumbo, quod bestiariis supremam coenantibus mos est.* Passio Perpet. et Felicit. XVII (Ruinart, Acta p. 86) *Pridie quoque cum illa coena ultima, quam liberam vocant,*

res postulabat, habitas esse non est incredibile. Expetendis enim in suppliciis populus ut pro contione interesset, ex more antiquo cum per praeconem convocari soleret [1]), eundem morem improbabile est neglectum esse, cum quis noxius, qui ad bestias erat damnatus, poenas daturus esset in harena [2]).

Amphitheatralium ludorum artes Tertullianus dicit [3]) Marti Dianaeque esse dedicatas: *ut et de artibus concludam, Martem et Dianam utriusque ludi praesides nouimus.* Num propria quaedam ratio inter numina illa et utrumque genus ludorum in harena editorum intercesserit, incertum est, quoniam nisi Tertullianus nemo eius meminit. Nam loci, quibus nisus Lafayeus apud Daremberg-Saglio (II p. 1591) Martem docet proprium fuisse deum amphitheatri, ambigui sunt [4]). Neque eum qui ex Cassiodoro sumptus est locum, quo ludus amphitheatralis in Scythicae Dianae honorem repertus esse dicitur [5]), magni velim facere, cum illam Dianam inter deos Romanos constet numquam esse receptam [6]). Ad certamina igitur venationesque harenae credibile est sicuti Martem belli deum, ita Dianam deam venationis esse relatam, eundemque gladiatorum atque militum fuisse deum [7]).

Qui vero spectacula praebebant in earena quo ex genere hominum evaserint [8]), nunc videamus. Magna pars horum constabat ex iis, qui facinoris convicti ad gladium vel ad bestias vel

---

quantum in ipsis erat, non coenam liberam, sed agapen coenarent, eadem constantia. Friedl. apud Marqu. Staatsverw. III² p. 561. Id. Sitteng. II⁸ p. 388.

[1]) Mommsen, Röm. Strafrecht (Handb. hrsg. v. Binding. I 4) p. 915 sq. 925 sqq. Id. Staatsrecht. I³ p. 198.

[2]) De spect. XXI (I 22, 12) . . . *qui propter homicidae poenam probandam ad spectaculum ueniat.*

[3]) De spect. XII (I 15, 12).

[4]) Sunt enim eiusmodi, ut vel Martem belli deum in animum revocent vel nomen Martis per metaphoram pro *certamine* usurpatum esse ostendant.

[5]) Var. V 42, 2 *spectaculum tantum fabricis clarum, sed actione deterrimum, in honore Scythicae Dianae repertum, quae sanguinis effusione gaudebat.* Dianae Scythicae meminit Tert. De mon. XVII (O. I 787), Scorp. VII (I 160. 3).

[6]) Cfr Schreiber in Roscheri lex. I p. 585 sqq.

[7]) Roscher in lexico suo II p. 2424.

[8]) Friedl. apud Marqu. Staatsverw. III² p. 559. Id. Sitteng. II⁹ p. 365.

ad ludum damnati erant [1]), et ex captivis [2]) et ex servis, qui scelus quoddam in se admiserant [3]). Eoque maiore spectaculi videndi studio dicit Tertullianus homines esse accensos, quo maioris sceleris reum scirent in harena esse depugnaturum. [4]) Supplicium noxiorum probat [5]) Tertullianus: *bonum est cum puniuntur nocentes. quis hoc nisi tamen nocens negabit?* [6]) Sed innocentes [7]) quoque iure suspicatur [8]) ad certamina amphitheatralia esse adactos: *quis autem mihi sponsor est, nocentes semper uel ad bestias uel ad quodcumque supplicium decerni, ut non innocentiae quoque inferatur aut ultione iudicantis aut infirmitate defensionis aut instantia quaestionis?* Neque vero deerant ingenui homines, qui gloriae appetentes se ad

---

[1]) Apol. XLIV (O. I 278) *de vestris semper bestiae saginantur, de vestris semper munerarii noxiorum greges pascunt.* De isdem cogitat Tert. Ad nat. II 14 (I 125, 8) *si ob uirtutem* (Hercules caelo et diuinitate dignus fuit), *quod feras constanter confecerit, quid tam memorabile? nonne ludo puniti* (i. e. ad bestias damnati, Oehler), *uel etiam ad munus dati arenariae uilitatis plurimas in unum . . . bestias conficiunt?* Cfr Ad nat. I 3 (I 62, 6). De an. LVI (I 391, 2). Ad mart. VI (O. I 14). De carn. res. XVI (III 45, 27 sqq). Quid intersit inter eos, qui adludum, et eos, qui ad gladium erant damnati, cfr Lex dei sive Mos. et Rom. leg. collat. XI 7, 3 sq. *rescriptum diui Hadriani sic loquitur, quasi grauior* (gladio) *poena sit metalli: nisi forte hoc sensit diuus Hadrianus gladii poenam dicendo ludi damnationen.' est autem differentia inter eos qui ad gladium et eos qui ad ludum damnantur: nam ad gladium damnati confestim consumuntur uel certe intra annum debent consumi: hoc enim mandatis continetur. enimuero qui ad ludum damnantur, non utique consumuntur sed etiam pilleari et rudem accipere possunt post interuallum, siquidem post quinquennium pilleari. post triennium autem rudem induere eis permittitur.* Cfr Eph. epigr. VII p. 407 sqq. Friedlaender ib. p. 365.

[2]) Id. ib. p. 367.

[3]) Id. ib. p. 369 sq. Captivos et mali status servos Tert. De spect. XII (I 14, 14) dicit olim in exsequiis immolatos esse.

[4]) Ad nat. I 2 (I 61, 20). *etiam spectaculis gratia adgregaretur. quanto enim studio in caueam conueniretur depugnaturo aliquo qui centum infantes deuorasset?*

[5]) De spect. XIX (I 20, 15).

[6]) De an. LVI (I 391, 5) *nec isti porro exitus uiolenti quos iustitia decernit, uiolentiae uindex.*

[7]) Cfr Friedl. ib. p. 366. 371.

[8]) De spect. XIX (I 20, 19).

dimicandum profiterentur [1]), quorum Tertullianus meminit Ad mart. V (O. I 13): *Eadem omnia saevitiae et cruciatus certamina iam apud homines affectatio quoque et morbus quidam animi conculcavit. Quot otiosos affectatio armorum ad gladium locat. Certe ad feras ipsas affectatione descendunt, et de morsibus et de cicatricibus formosiores sibi videntur* [2]).

Quid de ipsis ludorum actibus Tertullianus memoriae prodiderit, iam exponemus. Artifices harenae se ipsos patienter flagellandos dedisse [3]) dicit Ad mart. V (O. I 13): *Alii inter venatorum taureas scapulis patientissimis inambulaverunt;* gladiatoresque, si tardi ad certamen fuerint, iussu spectatorum virgis caesos esse De spect. XXI (I 22, 13): *idem gladiatorem ad homicidium flagellis et uirgis compellat inuitum* [4]). Prolusionem [5]), qua initium certaminis armis lusoriis fiebat, per metaphoram [6]) commemorat [7]), de lineis [8]),

---

[1]) Friedl. ib. p. 371 sq. De condicione gladiatorum et venatorum cfr Eph. epigr. VII p. 409 sq.

[2]) Tert. Ad. nat. I 18 (I 90, 20) *si contemptu scilicet mortis gladius de maioribus fabulas fecit, utiqe non uitae amore gladio uos ad lanistas auctoratis . . . Si feminae alicui de bestiis famosa mors est, medio quotidie pacis sponte libera ad bestias itis.* De pat. VII (III 12, 21) *nam id faciunt . . . cum . . ludo . . sese locant.*

[3]) Sen. Apocol. IX *proqimo munere inter novos auctoratos ferulis vapulare.* Friedl. ib. p. 389.

[4]) Sen. Epist. I 7, 5 *„occide, verbera, ure! quare tam timide incurrit in ferrum? quare parum audacter occidit? quare parum libenter moritur?“ plagis agitur in volnera.* Quintilian. Decl. IX 6. Friedl. ib. 390 sq. Id apud Marqu. Staatsverw. III² p. 563 sq.

[5]) Sen. Epist. XIX 8, 25 *quam stultum est, cum signum pugnae acceperis, ventilare. Remove ista lusoria arma: decretoriis opus est.* Friedl. ib. p. 562 et n. 2.

[6]) Locos, in quibus de ludis per metaphoram iniecta est mentio, collegit et explicavit H. Hoppe, Synt. u. Stil. d. Tert. p. 206 sqq. Quibus infra aliter dispositis pauci adicientur.

[7]) Adv. Val. VI (III 183, 5) *distulerim congressionem . . . congressionis lusionem deputa, lector, ante pugnam; ostendam, sed non imprimam uulnera.* Adv. Marc. III 5 (III 381, 20) *his proluserim quasi de gradu primo.*

[8]) Adv. Marc. III 5 (III 381, 21) *sed exhinc iam ad certum et comminus dimicaturus, video aliquas etiam nunc lineas praeducendas, ad quas erit dimicandum.* Adv. Marc. I 7 (III 299, 28) *his interim lineis cum clusimus.* Scorp.

de gradu [1]), de campo [2]), de congressu [3]) saepe mentionem facit. Variorum gladiatorum neminem nisi retiarium [4]) neque be-

IV (I 152, 29) *certas praeducimus lineas.* XI (I 171, 2) *una iam linea est.* Adv. Marc. V 1 (III 570, 20) *isdem et hic dimicabimus lineis.* Plura adhibebuntur in notis quae sequentur. De lineis cfr Mau, Pompeji p. 198 Fig. 97.

[1]) Adv. Iud. II (O. II 703) *igitur gradum conferamus, et summam quaestionis ipsius certis lineis determinemus.* Ad nat. II 1 (I 94, 13) *gradum conferens.* Adv. Iud. VII (O. II 712) *igitur in isto gradum conseramus.* Adv. Marc. III 2 (III 378, 1) *Hinc denique gradum consero.* De iei. XIII (I 291, 15) *state in isto gradu.* De an. VI (I 306, 24) *gradus stabit.* Adv. Marc. I 1 (III 292, 6) *Sed alius libellus hunc gradum sustinebit aduersus haereticos.* Scorp. VIII (I 160, 12) *Unum igitur gradum insistimus.* De virg. vel. XI (O. I 898) *Ubi enim gradum fiximus.* De ieiun. XI (I 289, 26) *in quo uelint gradum figere.* Adv. Prax. VIII (III 237, 25) *hic mecum gradum fige.* Ib. XXII (III 270, 1) *hic ergo iam gradum uolunt figere stulti.* Adv. Marc. IV 2 (III 426, 21) *possem hic iam gradum figere.* Ib. V 10 (III 605, 25) *adeo recte hunc gradum figimus.* Adv. Marc. IV 6 (III 432, 12) *Sed alium iam hinc inimus gradum.* De pud. XXI (I 268. 29) *in hunc iam gradum decurram.* De praescr. haer. XV (O. II 16) *Hunc igitur potissimum gradum obstruimus non admittendi eos ad ullam de scripturis disputationem.* De virg. vel. XV (O. I 906) *si* (virgo) *temptationibus gradum obstruxerit.* De an. VI (I 306, 14) *huius definitionis gradum exclusero.* Adv. Marc. V 16 (III 631, 26) *ut iam et Marcion de gradu cedat.* De praescr. IX (O. II 11) *Cedo nunc sponte de gradu isto.* De pud. VII (I 232, 12) *decedam nunc paulisper de gradu isto.* De iei. XIII (I 291, 20) *mouistis igitur gradum.* De an. XXVI (I 343, 21) *in nostras iam lineas gradum colligam.* Adv. Marc. I 9 (III 300, 28) *age igitur, ad lineas rursum et in gradum!* Adv. Marc. V 1 (III 570, 20) *in ipso gradu provocabimus praescriptionis.* Adv. Marc. IV 29 (III 524, 16) *eodem gradu occurrere;* ib. I 19 (III 314, 5) *ad praesentem gradum ita occurrere.* Adv. Marc. III 5 (III 381, 20) *gradu primo.* De praescr. XVIII (O. II 17) *aequo gradu.*

[2]) De an. XVIII (I 329, 12) *sed de deo suo quoque campo experiemur cum haereticis.*

[3]) De pud. VI (I 228, 5) *Ad hanc iam lineam dimicabit nostra congressio.* Adv. Marc. IV 1 (III 423, 6) *istas* (antitheses) *proprio congressu comminus, id est per singulas iniectiones Pontici, cecidissem, si non multo oportunius . . . cum ipso euangelio . . . retunderentur.* Apol. XXV (O. I 220) *non omittam congressionem.* Scorp. IV (I 152, 29) *nunc in unam speciem congressionis certas praeducimus lineas.* De test. an. IV (I 139, 26) *ex altera parte congredior autioris spei.*

[4]) De spect. XXV (I 25, 12) *poterit ergo et de misericordia moneri defixus*

stiarum, quae ad munera pertineant, ullas alias nisi ursum et leonem et taurum et pantheram [1]) in memoriam revocat. De suppositicio vel tertiario [2]), qui sorte ductus in devicti adversarii locum succedebat, Tertullianus cogitat De praescr. II (O. II 4): *In pugna pugilum et gladiatorum plerumque non quia fortis est vincit quis aut quia non potest vinci, sed quoniam ille qui victus est nullis viribus fuit: adeo idem ille victor, bene valenti postea comparatus, etiam superatus recedit.* Rude pilleoque, missionis libertatisque signis [3]), ut donarentur gladiatores, qui acriter pugnassent, dicit [4]) spectatores petere solitos esse: *idem gladiatori atroci petat rudem et pilleum praemium conferat;* mortuosque a ministris, qui Mercurii et Charonis [5]) specie simulata prodierant, in spoliarium elatos esse: [6]) *Risimus et inter ludicras meridianorum crudelitates Mercurium mortuos cauterio examinantem, vidimus et Iovis fratrem gladiatorum cadavera cum malleo deducentem* [7]). Ac ne crudelissima quidem spectacula omisit, quae meridiano tempore ut noxii capitis damnati pantomimos simulantes, sed veram mortem varios per cruciatus obeuntes darent [8]) cogebantur: Apol. XV (O. I 173)

---

in morsus ursorum et spongias retiariorum. Adv. Marc. V 4 (III 579, 12) *erubescat spongia Marcionis.* Cfr Friedlaender, Sitteng. II⁶ p. 389.

[1]) De iei. XVII (I 297, 25) *saginatior Christianus ursis et leonibus forte quam deo erit necessarius.* De spect. XXI (I 22, 15) *leonem poscit*, XXIII (I 24, 7) *leoni opponit,* XXVII (I 26, 8) *leones expostulantur.* Apol. L (O. I 301) *damnando . . ad leonem.* Scorp. X (I 168, 23) *si bestiis finiendus* (Christianus), *ursas septentrio emittet, zodiacus tauros et leones.* Apol. XII (O. I 162) *Ad bestias impellimur. Certe quas Libero et Cybele et Caelesti applicatis.* Cfr Thraemer in Roscheri lex. I 1095.

[2]) Friedl. ib. p. 391 n. 3.

[3]) Id. ib. p. 365. 385.

[4]) De spect. XXI (I 22, 15).

[5]) Cfr O. Keck, Ann. dell' Inst. 1881 p. 18 sqq. Friedl. ib. p. 391.

[6]) Apol. XV (O. I 173).

[7]) Tert. Ad. nat. I 10 (I 80, 11) *risimus et meridiani ludi de deis lusum, quo Ditis pater, Iouis frater, gladiatorum exsequias cum malleo deducit, quo Mercurius in caluitio pennatulus, in caduceo ignitulus, corpora exanimata iam mortemue simulantia e cauterio probat.*

[8]) Cfr Friedl. ib. p. 412.

Plane religiosiores estis in cavea, ubi super sanguinem humanum, super inquinamenta poenarum proinde saltant dei vestri argumenta et historias noxiis ministrantes, nisi quod et ipsos deos vestros saepe noxii induunt. Vidimus aliquando castratum Attin, illum deum ex Pessinunte, et qui vivus ardebat, Herculem induerat [1]). Neque deesse ait, qui veste incensa certum spatium currant in harena: Ad mart. V (O. I 13) *Iam et ad ignes quidam se auctoraverunt, ut certum spatium in tunica ardente conficerent* [2]).

Crudelitatis, qua homines in amphitheatro oblectabantur, exquisitissimae testimonium dat Tertullianus loco, ubi bestias commemorat ad eam, quae cum earum natura et impetu non conveniebat, ferocitatem adsuefactas esse [3]), curaque monstrosa praecautum, ne horribile illud spectaculum nimis propere finiretur: De an. XXXIII (I 356, 20) *namque illa* (iudicia humana) *sicarium uariis et exquisitis et iam praeter naturam eruditis feris dissipant et quidem uiuentem, immo nec facile morientem curata mora finis ad plenitudinem poenae* [4]). Porro Tertullianus, cum hominibus, qui deum verum ignorantes bonum et malum quid esset temere iudicarent, multa contraria ostendisset propria esse, quanta celeritate apud eosdem iustitia et admiratio summum in odium et crudelitatem transeat pergit [5]) docere: *sic ergo euenit, ut . . . qui insigniori cuique homicidae leonem poscit, idem gladiatori atroci petat rudem et pilleum praemium conferat, illum uero confectum etiam oris spectaculo re-*

---

[1]) Tert. item fere Ad nat. I 10 (I 80, 5) *plane religiosiores estis in gladiatorum cauea, ubi super sanguineni humanum, super inquinamenta poenarum perinde saltant dei uestri argumenta et historias nocentibus erogandis ut in ipsis deis nocentes puniantur. uidimus saepe castratum Attin deum a Pessinunte, et qui uiuus cremabatur, Herculem induerat.*

[2]) Id. ib. I 18 (I 91, 1) *attamen iam ignis contemptus euasit, ex quo se quidam proxime uestiendum incendiali tunica ad certum usquequaque locum auctoravit.* Cfr Reich, Mimus I p. 525.

[3]) Friedl. ib. p. 406. 410.

[4]) Tert. Ad nat. II 14 (I 125, 9) *nonne ludo puniti, uel etiam ad munus dati arenariae uilitatis plurimas in unum, et quidem studiosiores bestias conficiunt?*

[5]) De spect. XXI (I 22, 3. 15).

petat, libentius recognoscens de proximo quem uoluit occidere de longinquo, tanto durior, si non ualuit. Studium igitur hominum, qui certamine procedente ad contentiones et petitiones gladiatorum animum intendissent, dixit eo finito, cum spectandi illam cupiditatem iam expletam esse putares, contra magis excitari solere, ut, quem certantem satis habuissent de longinquo spectare, occisum cuperent multo libentius et ex propinquiore loco, tamquam si in os eius spectare; si vero id quod concupissent, ut alterum cadentem viderent, assecuti non essent, in tanto maiorem crudelitatem, quanto magis decepti essent, studium eorum intendi. Fieri enim potuit, ut etsi ambo sauciati essent, neuter eorum occumberet, vel ut alter, qui sauciatus esset, non moreretur. Tum spectatores animi duritiam ita ostendebant, ut eum, qui sauciatus veniam petebat, obtruncari, vel certamen, si renovari poterat, usque ad internecionem peragi iuberent [1]).

Inter eos, qui mortem obierunt in harena, Tertullianus saepe commemorat fuisse christianos. Qui quibus ab hominibus, quibus locis [2]), quas ob causas [3]) ad bestias expostulati et damnati sint indicat. Poenamque illam iis, qui expetant, ipsis ut volup-

---

[1]) Cfr Friedl. ib. p. 390 sq.

[2]) De carn. res. XXII (III 56, 9) *quis inimicos Christi iam subiecit pedibus eius . . . omni adhuc popularium coetu reclamante 'Christianos ad leonem'?* De spect. XXVII (I 26, 6) *odisse debemus istos conuentus et coetus ethnicorum, uel quod . . . illic in nos quotidiani leones expostulantur.* De exhort. cast. XII (O. I 754) *Numquid ergo huiusmodi et rei publicae prospectu aguntur? . . . ne non sint qui acclament, Christianis leonem! Haec enim audire desiderant qui filios quaerunt* (sc. ex altero matrimonio).

[3]) Ob mala publica: Apol. XL (O. I 267) *Si Tiberis ascendit in moenia, si Nilus non ascendit in arva, si caelum stetit, si terra movit, si fames, si lues, statim Christianos ad leonem! adclamatur;* ob neglecta pro salute imperatorum quae debuerant offerre sacrificia: Apol. XXX (O. I 235). *Sic itaque nos . . . gladii guttura detruncent, bestiae insiliant;* ob nomen christianum Scorp. I (I 146, 11) *alios ignis, alios gladius, alios bestiae Christianos probauerunt.* Ad nat. I 3 (I 63, 10) *et utique non gladio aut cruce aut bestiis punienda sunt nomina.*

tatis praesentis[1]), ita mali futuri[2]) causam esse ostendit, sed a christianis, qui eam a deo ad suam ipsorum salutem missam esse sciant[3]), minoris quam laesam pudicitiam esse factam[4]) aequoque animo subitam[5]). Innocentis ad supplicium allusit[6]) Tertullianus hoc loco obscurissimo: *taceo de illo, qui hominem leoni prae se opponit, ne parum sit homicida quam qui eundem postmodum iugulat.* Agitur de tribus hominibus, quorum unus est ad bestias damnatus, sed insons, quoniam is, qui poenam exigit, homicida appellatur, alter qui eum prae se leoni opponit, tertius qui eum postea iugulat. Quis igitur sit is qui hominem leoni opponit, quis qui eum enecat, quamquam scimus a viris doctis multifariam esse examinatum[7]), nos tamen supervacaneum esse non putamus eorum auctoritate nisi quid sentiamus proferre. Atque inde videtur nobis proficiscendum esse, ut quo tenore Tertullianus de duobus illis mentionem fecerit consideremus. Initio capitis proposuit sibi scriptor, ut artifices spectaculorum, quos ab hominibus ostendisset esse contemptos, apud deum quam haberent auctoritatem doceret. Quo

---

[1]) Apol. XLIX (O. I 296) *Sed in eiusmodi . . . inrisui iudicandum est, non gladiis . . . et bestiis, de qua iniquitate saevitiae non modo caecum hoc vulgus exsultat et insultat, sed et quidam vestrum . . . gloriantur.*

[2]) Ad Scap. III (O I 545) *Tibi quoque optamus admonitionem solam fuisse, quod cum Adrumeticum Mavilum ad bestias damnasses, et statim haec vexatio subsecuta est et nunc ex eadem causa interpellatio sanguinis.*

[3]) Scorp. V (I 154, 25) *licebit et deo in uitam aeternam per ignes et gladios et acerba quaeque curare.* Ad mart. IV (O. I 13).

[4]) Apol. L (O. I 301) *Nam et proxime ad lenonem damnando Christianam potius quam ad leonem confessi estis labem pudicitiae apud nos atrociorem omni poena et omni morte reputari.*

[5]) Ad nat. 1 18 (I 89, 23) *Reliquum obstinationis in illo capitulo collocatis, quod neque gladios . . . neque bestias uestras . . . ob duritatem ac contemptum mortis animo recusemus.* De pat. XIII (III 12, 7) (ad carnem firmandam dominus ostendit opus esse patientia), *ut crucem bestias gladium constantissime toleret.*

[6]) De spect. XXIII (I 24, 6).

[7]) Praeter scriptores, qui editiones suas commentariis instruxerunt, hunc locum tractavit Hartel, Patrist. Studien I 31 sqq. (Sitzungsber. d. philos.-hist. cl. d. Wiener Ak. B. 120, 1890). Maxime fecimus cum Noeldechenio, qui de hoc loco accurate (Zeitsch. f. Kirchengesch. Bd. XV, 1894 p. 201 sq.) disseruit, eius sententiam tamen ignorantes, antequam nostram memoriae prodidissemus.

consilio cum de auriga, de mimo, de tragoedo, de pantomimo, de pugile disputasset, ultimo enumerationis illius membro, quo sententia supra allata continetur, quos in animo habuerit artifices non est cur dubitemus. Sed gladiatorem, quem sciret homicidii manifestum omnibus videri ideoque putaret vix dignum esse, quem commemoraret, praeteriens alio cum artifice coniunxit, de cuius culpa ambigi posse existimaret. Insontem igitur Tertullianus posuit quendam ab alio illo artifice leoni dilacerandum ita obiectum esse, ut hic illum prae se ageret, sed a bestia non usque ad mortem, id quod nonnumquam factum erat [1]), excruciatum esse finxit. Quare conclusit opus fuisse, ut gladiator eum postea enecaret [2]). Quis tandem est ille, qui hominem leoni opponit? Ad artifices harenae cum sit referendus neque tamen pro gladiatore habendus, quis alius esse potest quam venator vel bestiarius? Voluit igitur Tertullianus hoc loco monere, ne quis bestiarium praetenderet minus culpae insontem esse quam gladiatorem.

Venationes, cum non tantas quantas munera praeberent causas reprehendendi, Tertullianus haud saepe increpabat memineratque praecipue eiusmodi ludorum, in quibus homines saevitiae bestiarum obiecti poenas darent. Venationes satis constat non solum poenae exigendae, sed etiam voluptatis causa datas esse, in quibus aut bestiae domitae et ad artes ludicras ostendendas edoctae producebantur, aut ferae inter se pugnabant vel a venatoribus peritissimis caedebantur [3]). Sed quo maiore bestiarum saevitia delectarentur homines [4]), variis modis eas excitare solebant venatores. Sic Iudaeum quendam, qui se ad bestias auctoraverat, tradit [5]) Tertullianus pictura, qua deus Christianorum irrisui habitus erat, saevitiam bestiarum irritasse: *Sed nova iam dei nostri in ista pro-*

---

[1]) Cfr Iosephus, Bell. Iud. VII, 8, 7 c. 373 Niese.

[2]) Passio Perpetuae c. 21 (Ruinart, Acta p. 88) *Perpetua . . . errantem dexteram tirunculi gladiatoris ipsa in jugulum suum posuit.* Mommsen, Röm. Strafr. (Binding, Handb. d. Deutsch. Rechtswiss. I 4) p. 928 n. 1.

[3]) Friedl. ib. 405 sqq.

[4]) Id. Ib. 407 sq.

[5]) Apol. XVI (O. I 181).

xime civitate editio publicata est, ex quo quidam frustrandis bestiis mercenarius noxius picturam proposuit cum eiusmodi inscriptione: deus Christianorum Ὀνοκοιήτης. Is erat auribus asininis, altero pede ungulatus, librum gestans et togatus. Risimus et nomen et formam [1]).

Carnem animalium narrat [2]) Tertullianus ab hominibus, tenuioribus videlicet vel superstitiosis appetitam esse: *Item illi* (ubi sunt), *qui de arena ferinis obsoniis coenant, qui de apro, qui de cervo petunt? Aper ille quem cruentavit, conluctando detersit. Cervus ille in gladiatoris sanguine iacuit. Ipsorum ursorum alvei appetuntur cruditantes adhuc de visceribus humanis. Ructatur proinde ab homine caro pasta de homine.* Ad superstitionem pertinebat quod Tertullianus memoriae prodidit [3]), sanguinem gladiatorum mortuorum exceptum esse, quo morbus comitialis sanaretur: *Item illi qui munere in arena noxiorum iugulatorum sanguinem recentem de iugulo decurrentem exceptum avida siti comitiali morbo medentes auferunt, ubi sunt?* [4])

---

[1]) Iudaeum illum, quamquam Tertullianus ira commotus appellat noxium, ad bestias tamen non fuisse damnatum, elucet ex alio loco, ubi eadem a Tertulliano memoriae sunt prodita: Ad nat. I 14 (I 84, 10) *Noua iam de deo nostro fama suggessit, nec adeo nuper quidam perditissimus in ista ciuitate, etiam suae religionis desertor, solo detrimento cutis Iudaeus, utique magis post bestiarum morsus, ut ad quas se locando quotidie toto iam corpore decutitur et circumciditur, picturam in nos proposuit sub ista proscriptione: onocoëtes. is erat auribus canteriorum et in toga, cum libro, altero pede ungulato.* Ad. nat. I 11 (I 80, 23) *nam, ut quidam, somniastis caput asininum esse deum nostrum: hanc Cornelius Tacitus suspicionem fecit.* Apol. XVI (O. I 175). Rauschen, Florileg. patrist. VI p. 57 vocabulo ὀνοκοιήτης *asinarium sacerdotem* ostendit significari. Deum ab secta Sethianorum cultum, qui Typhon-Seth appellabatur, docet Wuensch (Sethian. Verfluchungst. p. 86 sqq. 108 sq.) in omnibus fere devotionis tesseris capite asinino et corpore humano, interdum pedibus animalium delineatum esse. Inter deum illum et Christum quam Sethiani finxerint intercedere rationem, id. ib. p. 105 ostendit. Videtur igitur Iudaeus ille bestiarius ea, quae Sethianorum secta docuerat de Christo, in omnes transtulisse christianos. De eodem deo Sethiano cfr Bouché-Leclercq. l'Astrol. p. 483 n. 3.

[2]) Apol. IX (O. I 148).

[3]) Ibid.

[4]) Plin. N. h. XXVIII 1, 4 *sanguinem quoque gladiatorum bibunt ut viven*

Omnes harenae crudelitates si comprehendimus, satis mirari non possumus, quod excepto Seneca [1]) nemo inter sriptores veteres saevitiam illam damnandam existimaverit [2]).

Victor gladiator quibus verbis a spectatoribus sit salutatus, Tertullianus De spect. XXV (I 25, 14) refert: [3]) *quale est . . . ex ore, quo Amen in Sanctum protuleris, gladiatori testimonium reddere, εἰς αἰῶνας ἀπ' αἰῶνος alii omnino dicere nisi deo et Christo?* [4]).

Gladiatores, quos Tertullianus De spect. XXII (I 22, 23) appellat arenarios, venatoresque, quos De an. LVII (I 392, 10) bestiarios [5]) nominat, propriis in ludis constat educatos esse et instruc. tos [6]). Ecstasin comparat Tertullianus cum arte gladiatoria sine armis

tibus poculis comitiales morbi, quod spectare facientes in eadem harena feras quoque horror est. at, Hercule, illi ex homine ipso sorbere efficacissimum putant calidum spirantemque et vivam ipsam animam ex osculo vulnerum, cum plagis ne ferarum quidem admoveri ora fas sit. [1]) Cfr Friedl. Sitteng. II [8] p. 419.

[2]) Quo acrius christianis opus fuit munera reprehendere. Cfr Tert. De spect. XIX (I 20, 12) *si saeuitiam, si impietatem, si feritatem permissam nobis contendere possumus, eamus in amphitheatrum.* Adv. Marc. I 27 (III 329, 4) *quid non frequentas tam sollemnes uoluptates . . . caueae saeuientis . . ?* Apol. XXXVIII (O. I 253). [3]) De spect. XXV (I 25, 14).

[4]) Cass. Dio narrat (LXIII 20, 5) Neroni, cum is victor periodicus ex certaminibus in Graecia factis revertisset, civitatem obviam euntem haec acclamasse: „*Ὀλυμπιονῖκα οὐᾶ, Πυθιονῖκα οὐᾶ, Αὔγουστε, Αὔγουστε. Νέρωνι τῷ Ἡρακλεῖ, Νέρωνι τῷ Ἀπόλλωνι. ὡς εἷς περιοδονίκης, εἷς ἀπ' αἰῶνος, Αὔγουστε, Αὔγουστε. ἱερὰ ρωνή· μακάριοι οἵ σου ἀκούοντες*“. Id. (LXXII 20, 2) Commodum tradit in amphitheatro pugnantem ita esse salutatum: „*καὶ κύριος εἶ, καὶ πρῶτος εἶ καὶ πάντων εὐτυχέστατος. νικᾷς, νικήσεις. ἀπ' αἰῶνος, Ἀμαζόνιε νικᾷς.*“ Florum asperginem, cuius meminit Tert. De carn. res. XVI (III 46, 18), Bulengerus in Graev. thes. IX p. 982 ad praemia artificum victorum rettulit.

[5]) Noxios, qui ad bestias damnati erant, Tert. appellat bestiarios Apol. IX (O. I 146), XLII (O. I 274).

[6]) Friedl. apud Marqu. Staatsverw. III [2] p. 560 et 565. Id. Sitteng. II [8] p. 378. De *scholis bestiarum* Tert. inicit mentionem Apol. XXXV (O. I 243) *Testis est Tiberis et scholae bestiarum.* Quam huic loco in commentariis suis adiecerunt interpretationem Oehler et Rauschen (Floril. patrist. VI p. 103), ea mihi non arridet. Verbis enim illis potius putaverim Tertullianum allusisse ad poenas, quas ob laesam maiestatem cives Romani aut in culeum insuti atque ita in Tiberim deiecti (cfr Mommsen, Strafr. apud Binding, Handb. I 4 p. 921 sqq.), aut feris saginandis expositi (cfr Suet. Cal. XXVII 1 et 3: *quod numquam per genium suum deierassent.* Friedl. Sitteng. II [8] p. 402 et n. 6) dederant.

exhibita [1]), deos quos facit Homerus inter se certantes, cum paribus gladiatorum confert [2]). Lanistam gladiatoremque [3]) inter sordidissimos homines refert [4]). Dictata, quibus lanista tironum motus ictusque moderabatur [5]), omnibus videntur nota fuisse, quippe quae a spectatoribus inter certamina ad gladiatorum ictus regendos in harenam mitterentur [6]).

Christi denique sanguinem monet Tertullianus pro cruore gladiatorio datum esse christianis [7]).

D. De agonibus.

Agonum [8]) apparatum idololatriae [9]) conexum esse ut demonstraret Tertullianus haec rettulit: [10]) *quid ergo mirum, si uel appa-*

---

[1]) De an. XLV (I 374, 5) *Concipe gladiatorem sine armis uel aurigam sine curriculis, gesticulantes omnem habitum artis suae atque conatum: pugnatur certatur, sed uacua iactatio est . . . hanc enim ecstasin dicimus.*

[2]) Ad nat. I 10 (I 79, 3) *ille* (Homerus), *opinor, est qui . . . de illis* (deis) *fauore diuersis gladiatoria . . . paria composuit.* Apol. XIV (O. I 168).

[3]) De habitu lanistae facit mentionem De pall. IV (O. I 941), gladiatoris ib. VI (O. I 956).

[4]) Lanistam componit cum vespillone et lenone De pall. IV (O. I 941), gladiatorem cum frictrice et carnifice De carn. res. XVI (III 46, 8), *de gladiatorum ignominia loquitur* De pall. VI (O. I 956). Lanistam praeterea docet ab ecclesia arcendum esse De idol. XI (I 42, 9).

[5]) Cfr Friedl. Sitteng. II [8] p. 384 n. 4—6.

[6]) Ad mart. I (O. I 3) *Verumtamen et gladiatores perfectissimos non tantum magistri et praepositi sui, sed etiam idiotae et supervacue quique adhortantur de longinquo, ut saepe de ipso populo dictata suggesta profuerint.* Cfr Adv. Marc. IV 17 (III 475, 27 sqq.).

[7]) De spect. XXIX (I 28, 11) *Uis autem et sanguinis aliquid? habes Christi.*

[8]) De agonibus cfr J. H. Krause, Die Gymnastik u. Agonistik der Hellenen. Gardiner, Greek Athletic Sports 1910. Friedlaender apud Marqu. III [2] p. 566. Id. Sitteng. II [8] p. 483 sqq. P. J. Meier apud Pauly-Wissowa R-E I p. 836 sqq.

[9]) Tert. Scorp. VI (I 156, 11) *agonas istos, contentiosa sollemnia et superstitiosa certamina Graecorum et religionum et uoluptatum, quanta gratia saeculum celebret iam et Africae licuit.*

[10]) De spect. XI (I 13, 24).

ratus agonum idololatria conspurcat de coronis profanis, de sacerdotalibus praesidibus, de collegiariis ministris, de ipso postremo boum sanguine? Quem ad locum illustrandum adhibebimus, quae Suetonius tradidit [1]) de agone Capitolino, qui summa apud Romanos florebat frequentia et stabilitate [2]) neque ignotus erat Tertulliano: [3]) *Certamini* (Domitianus) *praesedit crepidatus purpureaque amictus toga Graecanica, capite gestans coronam auream cum effigie Iouis ac Iunonis Mineruaeque; adsidentibus Diali sacerdote et collegio Flauialium pari habitu, nisi quod illorum coronis inerat et ipsius imago.* Item Herodianus tradidit [4]) collegia sacerdotalia praeside imperatore alternis vicibus diversis certaminibus praefuisse [5]). Bovibusque sacrificatum esse Neroniis narrat Suetonius [6]), quem sacrificandi morem nullis in agonibus, quippe qui Graecorum ludos sacros [7]) imitarentur, neglectum esse putaverim.

Apparatum ludorum Graecorum Tertullianus cum abominatus esset, artes ut detestaretur a collegiis diversis administratas et a deis instructas esse dicit: [8]) *pro collegio artium Musicarum et Mineralium et Apollinarium * *, etiam Martialium per duellum, per tubam in stadio circum aemulantur . . . sed et gymnicas artes Castorum et Herculum et Mercuriorum disciplinae prodiderunt.* Collegia artificum musicorum et gymnicorum, quae suos quaeque habebant magistros, sacerdotes, magistratus, imperatoria aetate constat multa fuisse et varia [9]). Neque tamen memoria eorum, quae commemoravit Tertullianus, alioquin servata est. Castoribus magnam gymnicis in rebus virtutem apud Graecos attributam esse satis cognovimus [10]). In Olympiis, quae Hercules insti-

[1]) Domit. IV 4.

[2]) Friedl. Sitteng. II [8] p. 487 sqq.

[3]) Cfr De spect. XI (I 13, 22).

[4]) Histor. libr. I 9, 4 sqq.

[5]) Cfr Friedl. ib. p. 489.

[6]) Nero XII, 4 *Gymnico . . . inter buthysiae apparatum barbam primam posuit.*

[7]) De sacrificiis ludorum Graecorum cfr Meier ib. p. 849.

[8]) De spect. XI (I 14, 3).

[9]) Friedl. ib. p. 497 sq. Kornemann apud Pauly-Wissowa IV p. 397, 2.

[10]) Furtwaengler in Rosch. lex. I 1156 sq.

tuerat, Castor vicisse traditur cursu, pugilatu frater eius [1]. Victorem quendam certaminum gymnicorum dona iis consecrasse memoriae proditum est [2]. Neque minorem gymnicis in rebus habebant auctoritatem Hercules [3] et Mercurius [4], quorum statuis plerumque exornata erant gymnasia [5]. Praeterea inter sodalitates artificum gymnicorum altero p. Chr. saeculo praestantissima erat ea, quae Herculem adorabat [6].

Tertullianus, qui certamina musica paene omisit [7], praecipue ad gymnica intendit animum, quae eius aetate ab athletis exercitatissimis, plerumque Graecis, administrabantur [8]. Quorum studia ad vires corporis exercendas et augendas patientiamque confirmandam excogitata [9], quae saepe a palaestrae adversariis irrisui habita erant [10], Tertullianus multis locis commemorat. Ad victum corporisque curam, quam suscipere solebant athletae, spectat Ad mart. III (O. I, 11): *Nempe enim et athletae segregantur ad strictiorem disciplinam, ut robori aedificando vacent. Continentur a luxuria, a cibis laetioribus, a potu iocundiore, coguntur, crucian-*

---

[1]) Paus. V 8, 4. Cfr Krause, Die Pythien p. 13.

[2]) Cfr Furtwaengl. in Rosch. lex. I 1157.

[3]) Preller-Plew. Gr. Myth. II 259 sq.

[4]) Preller-Robert Gr. Myth. I 415 sqq. Krause, Gymn. p. 169.

[5]) Cfr Krause, ib. p. 168 sq. [6]) Friedl. ib. 497. Gardiner ib. p. 175.

[7]) Ad certamina musica Krause (Die Pythien p. 63) iure mihi videtur rettulisse *agonem Pythicum* Carthagine sero demum, cum certamina gymnica in stadio proposita multum gratiae amisissent, institutum, de quo Tert. Scorp. VI (I 156, 13): *adhuc Carthaginem singulae ciuitates gratulando inquietant donatam Pythico agone post stadii senectutem.* De agone musico cogitavit Tert. Ad nat. II 5 (I 103, 15): *nam in uoluptatibus quoque non tibiae aut citharae coronam ad praemium adiudicatis, sed artifici qui tibiam et citharam suauitatis temperet ui.* [8]) Friedl. ib. p. 494 sq.

[9]) Qui labores et studia ubi suscipiantur et quo valeant, Tert. indicat Ad mart. III (O. I 11): *Nos aeternam* (coronam) *consecuturi carcerem nobis pro palaestra interpretamur, ut ad stadium tribunalis bene exercitati incommodis omnibus producamur, quia virtus duritia extruitur, mollitia vero destruitur.* Ad mart. III (O. I 10) *Itaque epistates vester . . . voluit vos ante diem agonis ad duriorem tractationem a liberiore condicione seponere, ut vires corroborarentur in vobis.* De gymnasiis et palaestris cfr Gardiner, ib. p. 467 sqq.

[10]) Id. ib. p. 498 sqq.

tur, fatigantur; De pall. IV (O. I 932) *unde gentium in provinciis melius exercitis . . . studia palaestrae, male senescentia et cassum laborantia, et lutea unctio et pulverea volutatio*[1]) *et arida saginatio?* De ieiun. XVII (I 297, 18) *saginentur pugiles et pyctae Olympici. illis ambitio corporis competit, quibus et vires necessariae, et tamen illi quoque xerophagiis inualescunt*[2]); De spect XVIII (I 20, 4) *nusquam tibi uires aut iniuriosae aut uanae placebunt, sed nec cura facticii corporis, ut plasticam dei supergressa, et propter Graeciae otium altiles homines oderis.* Praeterea dicit De pall. IV (O. I 932) morem fuisse athletarum, ut corpus faciemque pilis nudarent: *unde apud aliquos Numidas etiam equis caesariatos iuxta cutem tonsor et cultri vertex solus immunis? unde apud hirtos et hirsutos tam rapax ab ala resina, tam furax a mento volsella?*[3])

Varia certaminum genera enumeravit et damnavit (De spect. XVIII (I 20, 3): *non probabis usquam uanos c u r s u s et i a c u l a t u s et s a l t u s uaniores . . . et p a l a e s t r i c a diaboli negotium est: primos homines diabolus elisit. ipse c a e s t u s colubrina uis est, tenax ad occupandum, tortuosa ad obligandum, liquida ad elabendum*[4]). Ut hoc loco, ita multis aliis praecipue carpit pugilatum, certamen ut Romanis acceptissimum, ita artificibus ipsis perniciosissimum. Nam caestibus[5]) ornati, qui ex loris facti nodisque et

---

[1]) Cfr Lucian. Anach. 29. Krause ib. p. 234.

[2]) Cfr Krause ib. p. 655: Ueberhaupt bestanden ihre (der Athleten) Nahrungsmittel grösstenteils aus festen und trocknen Substanzen, daher στερρὰ τροφή genannt. Id. ib. p. 657: Bei den Ringern, Pankratiasten und Faustkämpfern wurde nicht allein die möglichste Leibeskraft, sondern auch die möglichst grösste Fleischmasse erstrebt. Gardiner p. 124 sq. De *sagina* et *saginando* Tert. facit mentionem De paen. XI (O. I 662) *conquirito altilium enormem saginam.* Ad. mart. I (O. I 3) *carnem . . saginari,* De spect. XXVIII (I 27, 1) *saginentur . . conuiuae;* per metaphoram De pat. III (III 4, 16) *sed saginari uoluptate patientiae discessurus uolebat.* De idol. XI (I 41, 17) *daemonium saginat.*

[3]) Cfr Salmasius, De pall. p. 273. Hunc locum eumque, quem supra ex eodem capite (De pall. IV) adhibuimus, Geffcken (Kynika u. Verw. p. 102 sqq.) refert ad sententias cynicorum.

[4]) Palaestricae meminit Tert. Apol. XXXV (O. I 245) *unde qui faucibus eius exprimendis palaestricam exercent?* Cfr Oehler ad l.

[5]) De caestibus cfr Huelsen, Röm. Mitteil. IV (1889) p. 175 sqq. Gardiner, ib. p. 402 sqq. 410 sq. Krause, Gymn. p. 502 sqq.

sphaeris vel aeneis vel lapideis pleni erant[1]), pugiles quamlibet corporis partem vulneribus gravissimis adficere pollebant. Ictus vero plerumque ita erant directi, ut caput et inprimis tempora, aures, genas, maxillas, frontem, dentes, nasum denique et oculos attingerent et dilacerarent[2]). Pancratiastae praeterea non solum pugnis sed etiam calcibus certare solebant[3]). Quae certamina Tertullianus reprehendit De spect. XXIII (I 24, 3): *sane et ille artifex pugnorum impunitus ibit. tales enim cicatrices caestuum et callos pugnorum et aurium fungos a deo cum plasmaretur accepit; ideo illi oculos deus commodauit, ut uapulando deficiant;* Scorp. VI (I 156, 18): *qua nuda sunt proelia, non nulla sunt uulnera; pugni quassant, calces arietant, caestus dilaniant, flagella dilacerant . . . quantum liuores illi et cruores et uibices negotiantur*[4]).

---

[1]) Gardiner, ib. p. 406. Krause, ib. p. 505.

[2]) Stat. Theb. VI 780 sqq. *illum rigida arma caventem avocat et manibus necopinum interserit ictum callidus et mediam designat vulnere frontem. Iam cruor, et tepido signantur tempora rivo.* 792 *motu Spartanus acuto mille cavet lapsas circum cava tempora mortes.* Verg. Aen. V 435 *erratque aures et tempora circum crebra manus.* Ib. 469 *crassumque cruorem ore eiectantem mixtoque in sanguine dentes.* Mart. VII 32, 5 *at iuvenes alios fracta colit aure magister.* Anthol. pal. XI 75 t. II p. 343 Jacobs *οὗτος ὁ νῦν τοιοῦτος Ὀλυμπικὸς εἶχε, Σεβαστέ, ῥῖνα, γένειον, ὀφρύν, ὠτάρια, βλέφαρα. εἶτ' ἀπογραψάμενος πύκτης ἀπολώλεκε πάντα, ὥστ' ἐκ τῶν πατρικῶν μηδὲ λαβεῖν τὸ μέρος.* Ib. XI 78 p. 344 *Κόσκινον ἡ κεφαλή σου, Ἀπολλόφανες, γεγένηται.* Ib. XI 81. Cfr Krause, ib. p. 515 sqq. Id. ib. p. 516 veteranos athletas, quales in imaginibus et statuis solent repraesentari, auribus obtritis insignes fuisse docet.

[3]) Quint. Inst. II 8, 13 *sicut ille . . . exercendi corpora peritus non, si docendum pancratiasten susceperit, pugno ferire uel calce tantum aut nexus modo atque in iis certos aliquos docebit, sed omnia, quae sunt eius certaminis.* Lucian. Anach. 36 *τίνος ἕνεκα . . . ἐν τοῖς ἀγῶσι τοῖς Ὀλυμπίασι . . . καὶ τοῖς ἄλλοις . . . τοὺς νέους ἀγωνιζομένους . . . γυμνοὺς ἐς τὸ μέσον παραγαγόντες λακτίζομένους καὶ παιομένους ἐπιδείκνυτε* , . . ; item ib. 3. Cfr Krause, ib. p. 519. 543.

[4]) Pugilatus et luctatus praeterea fit mentio De spect. XXI (I 22, 3) *sic ergo euenit, ut . . . qui in plateis litem manu agentem aut compescit aut detestatur, idem in stadio gravioribus pugnis suffragium ferat.* XXV (I 25, 11) *cum athletae agent, ille dicturus est repercutiendum non esse.* XXIX (I 28, 7) *uis et pugilatus et luctatus? praesto sunt, non parua et multa. aspice impu-*

F u n a m b u l i et f u n i s p e r c o n t e n t i o n e m d u c t u s, quamquam non ad artifices et artes palaestrae pertinent, tamen cum ad voluptates spectent neque a Tertulliano omissi sint, hoc loco commemorentur. Funambulorum meminit De pud. X (I 240, 1): *age tu funambule pudicitiae et castitatis et omnis circa sexum sanctitatis, qui tenuissimum filum disciplinae eiusmodi ueri auia pendente uestigio ingrederis, carnem spiritu librans, animam fide moderans, oculum metu temperans. quid itaque in gradu totus es? perge sane, si potueris, si uolueris, dum tam securus et quasi in solido es. nam si qua te carnis uacillatio, animi auocatio, oculi euagatio de tenore decusserit, deus bonus est.* De fune per contentionem ducendo iniecta est mentio Adv. Marc. IV 4 (III 428, 22): *Funis ergo ducendus est contentionis pari hinc inde nisu fluctuante* [1]).

Condicio artificum musicorum et gymnicorum [2]) in eo differebat a gladiatorum et scaenicorum artificum condicione, quod semper in Graecia [3]), in Italia Tertulliani certe aetate [4]) infamia non adspergebantur et pluribus maioribusque quam ceteri donabantur praemiis [5]). Quorum meminit Tertullianus Scorp. VI (I

---

dicitiam deiectam a castitate, perfidiam caesam a fide, saeuitiam a misericordia contusam, petulantiam a modestia adumbratam (cfr Stat. Theb. VI 776 *obumbrat*), *et tales sunt apud nos agones, in quibus ipsi coronamur.* — De an. XLVI (I 376, 22) *Leonymus pyctes ab Achille curatur in somniis.* De pall. IV (O. I 937) *pugil Cleomachus . . . sicut vestigia cestuum viriis occupavit, ita et endromidis solocem* (cfr Salmasius, De pall. p. 309 sq.) *aliqua multicia synthesi extrusit.*

[1]) De pud. II (I 223, 21) *non decet ultra de auctoritate scripturarum eiusmodi funem contentiosum alterno ductu in diuersa distendere.* Adv. Iud. I (O. II 701) *Alternis vicibus contentioso fune uterque diem in vesperum traxerunt.* De carn. res. XXXIV (III 74, 17) *nolo nunc contentioso fune deducere.* Cfr. Hoppe, Syntax u. Stil d. Tert. p. 211 n. 1.

[2]) Artifices gymnici, qui victoriam reportaverant et in collegia recepti erant, proprie appellabantur xystici (Krause, ib. p. 85 n. 2). Qua appellatione Tertullianus exceptis locis, quos iam attulimus, utitur De spect. XXX (I 29, 9): *tunc xystici contemplandi, non in gymnasiis, sed in igne * * * iaculati.*

[3]) Friedl. ib. 500 sq. Meier ib. p. 847 sqq.

[4]) Friedl. ib. 503.

[5]) Id. ib. 502 sq.

156, 23): *coronas scilicet et gloriam et dotem, priuilegia publica, stipendia civica, imagines, statuas et, qualem potest praestare saeculum, de fama aeternitatem, de memoria resurrectionem.* Ib. p. 157, 1 *pyctes ipse non queritur dolere se, nam uult; corona premit uulnera, palma sanguinem obscurat; plus uictoria tumet quam iniuria . . . deum dedecebit . . . dare huic palmam, huic honorem, illi ciuitatem, illi stipendia?* Minus accurate igitur rem exposuit Tertullianus De spect. XXII (I 22, 22) ubi xysticos et aurigas [1]) eodem atque ceteros artifices [2]) habuit loco: *etenim ipsi auctores et administratores spectaculorum quadrigarios scaenicos xysticos arenarios illos amantissimos, quibus uiri animas* [3]), *feminae autem illis etiam corpora sua substernunt* [4]), *propter quos se in ea committunt quae reprehendunt* [5]), *ex eadem arte, qua magnifaciunt, deponunt et deminuunt, immo manifeste damnant ignominia et capitis minutione, arcentes curia rostris senatu equite ceterisque honoribus omnibus simul et ornamentis quibusdam.* Fervore animi adductus rem amplificavit, ut solet, verbis quae potius omittenda erant. Rectius aliis locis et ad infamiam provocat ceterorum artificum praecipue scaenicorum [6]) et gloriam martyrum comparat cum gloria xysticorum: Ad mart. III (O. I 10) *Bonum agonem subituri estis, in quo agonothetes deus*

---

[1]) Cfr Friedl. ib. p. 328.

[2]) De condicione gladiatorum cfr. Friedl. ib. p. 375 sq., artificum scaenicorum ib. 472 sq.

[3]) Romani traduntur gladiatores custodum loco habuisse. Cfr Friedl. ib. p. 367, 8.

[4]) Mulieres vel summo loco natas constat amantissimas fuisse gladiatorum (Friedl. ib. p. 374) et actorum scaenicorum (id. ib. p. 479).

[5]) Nec solum viri ingenui, sed etiam feminae artificum partes saepe egerunt (Friedl. ib. p. 332. 373 sqq. 471. 495. sq.). In harenam tamen amphitheatri ne descenderent feminae, a. 200 Severus interdixerat (id. ib. p. 363 n. 8).

[6]) Apol. XV (O. I 173) *imago dei vestri ignominiosum caput et famosum vestit.* Ad nat. I 10 (I 80, 1) *constuprantur coram uobis maiestates in corpore inpuro. famosum et diminutum caput imago cuiuslibet dei uestit.* Cic. apud August. De c. d. II 13 *cum artem ludicram scaenamque totam in probro ducerent, genus id hominum non modo honore ciuium reliquorum carere, sed etiam tribu moueri notatione censoria uoluerunt.*

vivus est, xystarches [1]) *spiritus sanctus, corona aeternitatis brabium* [2]) *angelicae substantiae, politia in caelis, gloria in saeculo saeculorum.*

Ad varia quae agonothetae [3]) obtigerant munera alludit per metaphoras Tertullianus. Ab agonotheta dicit certamen edici [4]), certantes probari aut improbari [5]), coronas et praemia proponi [6]), certaminis arbitrium exhiberi [7]), praemia distribui [8]).

Stadia demum et porticus [9]), ubi caelo turbido hiemeque frigida athletae solebant versari, commemorat Ad mart. II (O. I, 8): *Vagare spiritu, spatiare spiritu et non stadia opaca aut porticus longas proponens tibi, sed illam viam, quae ad deum ducit.* De scammate [10]) per metaphoram facit mentionem Ad mart. III (O. I, 10): *Itaque epistates vester Christus Iesus, qui vos spiritu unxit et ad hoc scamma produxit, voluit vos . . . seponere.* Philosophorumque, qui in palaestris iuventutem docere [11]) solebant, meminit De an. II (I 302, 5): *nec ignoro . . , quot* (sint) *uarietates sententiarum, quot palaestrae opinionum.*

---

[1]) Cfr Gardiner, ib. p. 175. Krause, ib. 205 sqq.

[2]) Cfr Pauly-Wissowa R-E III 800 sq.

[3]) Cfr Reisch apud Pauly-Wissowa R-E I 870 sqq.

[4]) De fuga I (O. I 463) *Sic et agonem intellegi capit persecutionem. A quo certamen edicitur, nisi a quo corona et praemia proponuntur?* Ib. praemia in edicto enumerata esse dicit: *Legis edictum agonis istius in Apocalypsi, quibus praemiis ad victoriam invitet vel maxime illos qui proprie vicerint in persecutione.*

[5]) Scorp. VI (I 157, 5) *deum dedecebit . . . carnem atque animam probare de constantia atque tolerantia? . . . etiam quosdam reprobare et castigatos cum ignominia submouere?*

[6]) Cfr supra n. 4.

[7]) De fuga I (O. I 463) *Ita agnosces ad eundem agonothetam pertinere certaminis arbitrium qui invitat ad praemium.*

[8]) Scorp. VI (I 157, 5) *deum dedecebit . . . dare huic palmam, huic honorem, illi ciuitatem, illi stipendia.*

[9]) Cfr Gardiner, ib. p. 483 sqq. Krause, ib. p. 85. 101 sq. 127.

[10]) Cfr Gardiner, ib. p. 297. Krause, ib. p. 105.

[11]) Cfr Gardiner, ib. p. 469.

V. Tertulliani De spectaculis liber.

Huius dissertationis priusquam finem faciamus, nonnulla nobis videntur adicienda esse, ut librum De spectaculis Tertullianus quonam consilio, quo fere anno ediderit, qua dispositione quibusque fontibus usus composuerit breviter exponamus.

Quo consilio Tertullianus librum De spectaculis ediderit, in exordio ipsius tractatus sic indicat [1]: *Qui status fidei, quae ratio ueritatis, quod praescriptum disciplinae inter cetera saecularium errorum etiam spectaculorum uoluptates adimat, . . . cognoscite . . ., ne aut ignorando aut dissimulando quis peccet.* Quod sibi proposuerat ut assequeretur: exordio (c. 1—3) peracto ipsam tractationem duas in partes divisit [2], quarum in priore (c. 4—13) res collegit, quibus spectacula ostenderet artissime cum idololatria cohaerere, posteriore in parte (c. 14—24) causas proposuit, quibus quantum integritati morum nocerent spectacula demonstraret, praesertim cum ipse quam perniciosa essent, usu [3]) compertum haberet. Praeterea in posteriore parte argumenta [4], quibus christiani ludorum cupidi voluptates illas sibi vindicare studebant, a Tertulliano refutata materiam disputationis augebant. Sed res, quibus ludos doceret cum Romanorum religione esse coniunctos, Tertullianus ex litteris veterum conquisivit atque ita disposuit [5] ut primum de *originibus* (c. 5), deinde

---

[1]) De spect. I (I 1, 3).

[2]) Cfr P. Wolf, Die Stellung der Christen zu den Schauspielen (Diss. Wien 1897). p. 60 sqq. H. Råbergh, Tidskr. för Teologi och Kyrka 1881 p. 1 sqq.

[3]) Tert. confitetur se spectacula frequentasse De spect. XIX (I 21, 2), Ad nat. I 10 (I 80, 9) *uidimus saepe castratum Attin . . . risimus . . . lusum.*

[4]) Quorum tamen plurima iam in exordio proposuit et impugnavit.

[5]) De spect. V (I 6, 19) *De originibus quidem ut secretioribus et igno-*

de *titulis* (c. 6), tum de *apparatu* (c. 7), denique de *locis* (c. 8), postremo de *artificiis* vel *artibus* ludorum (c. 9) dissereret, inter variaque spectaculorum genera primum *ludos circenses* (c. 7—9), deinde *ludos scaenicos* (c. 10), tum *agones* (c. 11), postremo *munera* (c. 12) describeret, tractationisque priorem partem concluderet (c. 13)[1]. Transitione (c. 14) facta in posteriore tractationis parte (c. 15—24) ostendit, quibus vitiis incommodisque christiani, si adirent spectacula, adficerentur, quae commoda assequerentur, si ab iis abstinerent. Peroratione (c. 25—30) christianos monet, ut spectacula, quae saeculum praebet, evitent, quae paraturus sit deus, exspectent.

Quibus ex fontibus ea, quae Tertullianus in priore tractationis parte attulit, sint hausta, huius aetatis viri docti alii aliter censent. Ea cum Reifferscheidius ostendit[2]) ex Suetonii ludicra historia sumpta esse omnia, Werber etsi nonnulla concedit Suetonio esse attribuenda, plurima tamen contendit[3]) ex Varronis Rerum divinarum libris esse repetenda, Noeldechenius denique non solum ad Varronem et Suetonium, sed ad sexcentos alios, quorum Tertullianus in libro De spectaculis et aliis in libris aut meminit aut non meminit, putat[4]) esse referenda. Argumenta, quibus nititur Noeldechenius, quoniam Werber iure optimo refellit, restat ut Suetonius et Varro num uterque an alter solus Tertulliani fuerit auctor disceptemus.

Eodem loco, quem Reifferscheidius ad suam sententiam fulciendam adhibuit, Werber utitur testimonio, quo ex Varrone sua hausisse Tertullianum doceat. Tertullianus enim, cum Tullum

---

tis penes plures nostrorum artis nec aliunde inuestigandum fuit quam de instrumentis ethnicalium litterarum. De cor. VII (O. I 431) *De suis enim instrumentis saecularia probari necesse est.*

[1]) De spect. IV (I 6, 12) *commemorabimus origines singulorum, quibus in cunabulis in saeculo adoleuerint, exinde titulos quorundam, quibus nominibus nuncupentur, exinde apparatus, quibus superstitionibus instruantur, tum loca, quibus praesidibus dicentur, tum artes, quibus auctoribus deputentur*

[2]) Quaest. Suet. III p. 463. 475.

[3]) Program des Staats-Gymnasiums in Teschen 1896 p. 1 sqq.

[4]) Philol. Suppl. VI p. 729 sqq.

Hostilium et Ancum Martium inter eos, qui ludos instituissent novos, commemorasset: *qui*, inquit [1]), *quos quem per ordinem et quibus idolis ludos instituerint, positum est apud Suetonium Tranquillum uel a quibus Tranquillus accepit.* Relativam tamen enuntiationem '*a quibus Tranquillus accepit*' Werber sine iusta causa ita intellexit [2]), quasi Tertullianus plurali illo numero posito Varronem solum spectaret. Namque verbis illis '*a quibus Tranquillus accepit*' veri similius est Tertullianum indicare eos, quos Suetonius in ludicra sua historia auctores adhibuit. Nimis praeterea laboris sibi fingit Tertullianum suscepisse Werber, cum ad originem ludorum superstitiosam demonstrandam eum putat [3]) Varronis Rerum divinarum libros adisse, quasi argumenta, quae opus essent, non apud Suetonium invenisset. Aegre enim quisquam, qui de ludis veterum scripsit, qua ratione origo eorum cum religione cohaereret quin doceret praetermisit. Res vero singulae a Tertulliano tractatae, quas Werber ad Varronem rettulit [4]), eiusmodi sunt omnes, ut ne a Suetonio quidem omissas esse iure contendas. Ea certe, quae Tertullianus de Circa et de coloribus memoriae prodidit, de Suetonio pendere apparet ex locis, quos ex posterioris aevi scriptoribus et latinis et graecis supra excerpsimus [5]). Praeterea inter res, quas Tertullianus commemoravit, haud paucae erant, quas ille ex Varrone non potuit sumere. Eiusmodi res concedit Werber fuisse obeliscum et agones, sed fuerintne inter eas munera factionesque prasina et veneta, iure in dubio ponit. Quibus adiciam simulacrum Matris magnae in leone sedentis [6]), natales et sollemnes regum, ludos a quaestoribus editos [7]), seiugas [8]), forsitan etiam delphinos, quae omnia ad posterioris aetatis ludos vel instituta pertinere supra ostendimus. Quibus re-

---

[1]) De spect. V (I 7, 26).

[2]) Ib. p. 5 sq.

[3]) Ib. p. 4 sq.

[4]) Ib. p. 9 sqq.

[5]) Cfr p. 94 sqq. 108.

[6]) Cfr p. 65.

[7]) Cfr p. 38.

[8]) Cfr p. 53 n. 4.

bus adductus, etsi Varronem a Tertulliano aliis in libris adhibitum esse haud negaverim, in eo tamen libro, qui est De spectaculis, ab eo consultum esse vix crediderim.

De anno quo esset editus liber De spectaculis, Noeldechenius se putabat aliquid certi concludere [1], sed quae ad sententiam suam fulciendam protulit ab aliis iure optimo sunt refutata [2]. Neque enim res singulae, quas Tertullianus in libro illo attigit, ullae eiusmodi sunt, ut adminiculum quoddam ad aetatem eius libri definiendam praebeant. Quare cum iis facimus, qui annum editi libri non accuratius volunt definire, quam ut, cum nulla Montani doctrinae vestigia dicant in libro De spectaculis esse perspicua, librum illum ante annum 203 editum esse constituant.

---

[1]) Noeldechen, Texte u. Untersuch. V 2 p. 36 sqq.

[2]) Cfr Harnack, Zeitschr. f. Kircheng. 1878 p. 574. Id Gesch. der altchristl Litt. II 2 p. 267 sq. Bardenhewer, Gesch. der altkirchl. Litt. II p. 370.

Index rerum et nominum.

(Numeris paginae significantur).

Tab. I.

Nomina diesque ludorum,

et circensium (c) et scaenicorum (s), qui ineunte saeculo primo (I), et tertio (III), annoque p. Chr. CCCLIV (IV) Romae erant dati, ita enumerantur, ut ludi deorum causa editi litteris expansis, divorum causa dati obliquis, ob prosperitates publicas exhibiti rectis notentur.

Primus ludorum dies		Numerus dierum I c.	I s.	III c.	III s.	IV c.	IV s.
	Mensis Ianuarius.						
3	Ludi compitales (3—5)				3		3
7	Iano patri circenses			1		1	
13	Iovi statori circenses			1		1	
17	Ludi Palatini IV (17—19, 21—22) . .						5
19	Ludi Palatini III (19—23?)				5		
20	*Natalis Gordiani*					1	
21	Ludi Palatini I (21—23)		3				
24	*Natalis Divi Hadriani*			1		1	
28	Ludi Adiabenici (28—31)					1	3
	Mensis Februarius.						
1	Natalis Herculis			1		1	
4	Ludi Gottici (4—9)					1	5
11	Ludi Genialici (11—12)			1	1	1	1
25	*Lorio circenses*			1		1	
27	*Natalis Divi Constantini*					1	
28	Ludi votivi						1

Primus ludorum dies		Numerus dierum I c.	I s.	III c.	III s.	IV c.	IV s.
	Mensis Martius.						
1	Natalis Martis			1		1	
13	Iovi Cultori circenses			1		1	
17	Ludi Liberalici			1		1	
31	*Natalis Divi Constantini*					1	
	Mensis Aprilis.						
1	Veneralia ludi				1		1
3	Natalis dei Quirini			1		1	
4	Ludi Megalenses I (4—10) III et IV (4—7, 9—10)	1	6	1	5	1	5
8	Natalis Castoris et Pollucis			1		1	
11	*Natalis Divi Severi*			1		1	
12	Ludi Ceriales (12—19)	1	7	2	6	2	6
21	Natalis urbis			1		1	
26	*Natalis M. Antonini*			1		1	
28	Ludi Florales I et III (Apr. 28—Mai. 3)	1	5	1	5		
30	Ludi Florales IV (Apr. 30—Mai. 3) .					1	3
	Mensis Maius.						
4	Ludi Maximati (4—9)					1	5
10	*Natalis Claudii*					1	
12	Ludi Martiales	1		1		1	
13	Ludi Persici (13—17)					1	4
29	Ludi Fabarici (Mai. 29—Iun. 1) . . .			1	3	1	3
	Mensis Iunius.						
4	Ludi in Minicia				1		1
	Mensis Iulius.						
3	Fugato Licinio circenses					1	
5	Ludi Apollinares IV (5—13)					1	8
6	Ludi Apollinares I et III (6—13) . .	1	7	1	7		
15	Ludi Francici (15—17, 20)					1	3

Primus ludorum dies		Numerus dierum					
		I		III		IV	
		c.	s.	c.	s.	c.	s.
18	Adventus divi					1	
19	Ludi votivi						1
20	*Ludi Victoriae Caesaris* (20—30)	4	7				
21	Adventus divi					1	
22	Ludi Neptunalici (22—23)				2		2
25	*Natalis Divi Constantini*					1	
26	Ludi votivi						1
27	Victorias Sarmaticas					1	
30	Victorias Marcomannas					1	
	Mensis Augustus.						
1	Ludi Martiales	1					
1	*Natalis Divi Pertinacis et Divi Claudii*			1		1	
4	Victoria senati					1	
5	Natalis Salutis			1		1	
7	*Natalis Constantii*					1	
8	Ludi votivi						1
19	*Natalis Probi*					1	
23	Ludi Vulcanalici			1		1	
28	Natalis Solis et Lunae			1		1	
31	*Natalis Commodi*			1			
	Mensis September.						
4	Ludi Romani I (4—19)	5	11				
9	*Natalis Aureliani*					1	
12	Ludi Romanorum III et IV (12—15)			1	3	1	3
18	*Natalis Traiani*			1		1	
18	Ludi Triumphales (18, 20—22)					(1)	3
19	*Natalis Pii Antonini*			1		1	
23	*Ludi Augustales*	1		1		1	
27	Profectio divi					1	
29	Ludi Fatales (29—30)				2		2

Primus ludorum dies		Numerus dierum					
		I		III		IV	
	Mensis October.	c.	s.	c.	s.	c.	s.
1	*Natalis Alexandri*					1	
3	*Ludi Divi Augusti et Fortunae Reducis* (3—12)	1	9	1	9		
5	Ludi Alamannici (5—10)					1	5
12	*Augustales circenses*					1	
13	Ludi Iovi Liberatori (13—18) . . .			1	5	1	5
15	Ludi Capitolini.		1				
19	Ludi Solis (19—22)					1	3
26	*Ludi Victoriae Sullanae* (Oct. 26—Nov. 1)	1	6				
29	Adventus divi					1	
30	Ludi votivi (30—31)						2
	Mensis November.						
1	Ex se nato circenses					1	
4	Ludi plebei I (4—17)	3	11				
8	*Natalis Nervae et Constantii*			1		1	
9	Ludi votivi						1
12	Ludi plebei III et IV (12—16) . . .			2	3	2	3
17	*Natalis Vespasiani*			1		1	
25	Ludi Sarmatici (Nov. 25—Dec. 1) . . .					1	6
	Mensis December.						
12	Ludi Lancionici (12—14, 16—18) . . .					1	5
15	*Natalis Divi Veri*			1		1	
25	Natalis Invicti					1	
30	*Natalis Divi Titi*			1		1	
	Summa dierum, qui ludis erant celebrati						
	Deorum causa	14	51	24	52	27	54
	Divorum et numinum tutelarium causa . .	7	22	14	9	22	
	Ob prosperitates publicas					16	46
	Summa omnium dierum et circensium et scaenicorum	21	73	38	61	65	100

Ludi ineuntis primi (I) et tertii (III) saeculi mediique quarti (IV), circenses rubro, scaenici nigro colore notantur.

	Mensis Ianuarius			Mensis Februarius			Mensis Martius			Mensis Aprilis			Mensis Maius			Mensis Iunius				Mensis Iulius			Mensis Augustus			Mensis September			Mensis October			Mensis November			Mensis December		
	I	III	IV	I	III	IV	I	III	IV	I	III	IV	I	III	IV	I	III	IV		I	III	IV	I	III	IV	I	III	IV	I	III	IV	I	III	IV	I	III	IV
1																			1																		
2																			2																		
3																			3																		
4																			4																		
5																			5																		
6																			6																		
7																			7																		
8																			8																		
9																			9																		
10																			10																		
11																			11																		
12																			12																		
13																			13																		
14																			14																		
15																			15																		
16																			16																		
17																			17																		
18																			18																		
19																			19																		
20																			20																		
21																			21																		
22																			22																		
23																			23																		
24																			24																		
25																			25																		
26																			26																		
27																			27																		
28																			28																		
29																			29																		
30																			30																		
31																			31																		

A.

B.

C.

D.

ERIDANUS
BOTROCA
SCOLASTICVS REGNATOR FAMOSVS
PYIRIPINVS
ARPASTVS
EVFRATA
EVSTOLVS
ISVS
IVS
VS
NOR
ERIDANVS
PELOPS